31
5 E
21

PETRI STROZAE

DE DOGMATIBVS CHALDAEORVM DISPVTATIO.

AD PATREM ADMOD. REVER. ADAM

Cameræ Patriarchalis Babylonis Archidiaconum, Monachorum Chaldæorum Archimandritam.

REVERENDISS. DOMINI ELIAE

PATRIARCHAE BABYLONIS

AD SANCTISS. DOMINVM NOSTRVM

PAVLVM PAPAM V.

LEGATVM.

ROMÆ, Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. MDCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

DE mandato Reuerendissimi Patris F. Hiacynthi Petronij Magistri Sacri Palatij, legi, & considerauicum maxima animi voluptate, disputationem hanc de Dogmatibus Chaldæorum, compositam à Domino Petro Strozza, Sanctissimo Domino Nostro Papæ Paulo V. à Secretis, & non solum illam reperi Fidei nostræ, & bonis moribus consonam, verum etiam dignam iudico, vt in publicum prodire possit, & typis mandari propter illius non vulgarem eruditionem. Datum Romæ in Conuentu sanctæ Mariæ super Mineruam die 3. Septembris 1616.

Fr. Damianus à Fonseca.

EX commissione Reuerendissimi Patris Fr. Hiacynti Petronij, Sacri Palatij Magistri. Ego infrascriptus, diligenter perlegi Opusculum inscriptum: *Sermo Adæ Archidiaconi Cameræ Patriarchalis Babylonis, de Fide Catholica, ad fratres suos Chaldæos*; cuius initium est: *De Fide Catholica, deq; professione Orthodoxæ Fidei loqui volumus fratres, &c.* Absoluitur autem: *Ne declinent à semitis tuis, Fidei tuæ rectæ. Amen.* Et veræ, ac Catholicæ, & Romanæ Fidei consonum, atque nihil ab ea aborrens inueni.

Fr. Angelus Cortesius, Ordinis Prædicatorum Sac. Theol. Magister proprio chirographo.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Magister, & Reuerendissimi Patris Fr. Hiacynti Petronij Sacri Pal. Apost. Magistri, Socius, &c.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
D. SCIPIONI
S. R. E. CARDINALI
BVRGHESIO
MAIORI POENITENTIARIO
ac Sedis Apostolicæ Bibliothecario.

PETRVS STROZA SAL. PL. Q. FEL.

ABSOLVTO, misericordis Dei ope (Cardinalis Amplissime) grauissimo negocio reconciliationis Ecclesiæ Babylonicę cum sancta Apostolica Sede; quod ab vsque huius fœlicissimi Pontificatus initio inchoatum est: facilè passus sum mihi persuaderi, vt in lucem ederem, quæ inter nos disseruimus ego, & Legatus Patriarchæ Babylonis, toto tempore, quo in Vrbe mansit, vt veritatem Catholicæ Fidei agnosceret, quam Patriarchæ sui nomine, Archiepiscoporum, Episcoporumq; eius obedientiæ subiectorum postulatum venerat. Rede-

geram quippe cuncta certis distincta capitibus in breuem commentarium ; idq; feci non tantùm vt vberiorem notitiam haberet eorum, quæ cum Apostolico Breui ei dederam, iussu S. D. N. deferenda ad suum Patriarcham; verùm etiam vt aliquo solatio minuerem tædium, vel angorem potius, quem prorogatio sui ab Vrbe discessus illi afferebat molestissimum . Quam meam lucubratiunculam postmodum cum nonnulli viri, pietate, ac doctrina præstantes, meiq; amãtissimi vidissent; vt euulgarem, non modo mihi suadere ; sed etiã acriter à me contendere ceperunt. Legerant enim, quanto pietatis zelo Patriarcha Babylonis petebat à S.D.N. vt recognosceret Fidem, quam ipse, & Chaldæi sibi subiecti profitentur ; prompti, paratiq; suscipere propriorum errorum correctionem, eiq; obedire, tanquã supremo Ecclesię Capiti, atque Doctori. Nam literæ ipsius Patriarchæ ad Summum Pontificem præponendæ necessariò fuerunt ; vt causa suscepti nostri laboris innotesceret; & ea, de quibus in hac disputatione agitur; commodius intelligerentur . Affirmabant itaque disputationis editionem valde opportunã esse hisce temporibus: saltem vel ex occasione qua habita est. Fieri nãque facile posse aiebant, vt non pauci ad salutem confunderentur ex miseris illis, qui in partibus Septemtrionalibus auitæ pietatis

obli-

obliti, supremam auctoritatem Romani Pontificis, eiusq; de Catholica Fide orthodoxam doctrinam oppugnant: cum ex altera parte vidissent Orientales tantopere vtramque hoc tempore venerari. Præterea actionis huius notitiam ob rei nouitatem, & Ecclesiæ Catholicæ gloriam, eximiamq; paternæ charitatis S.D.N. laudem (nam re vera negotium hoc ab ipsa exordium cepit) fore bonis omnibus gratam; & studiosis etiã sacræ Theologiæ non parum vtiliratis allaturã. Etenim Nestoriani Orientales imbuti pessima, callidissimaq; Theodori Mopsuesteni doctrina; multa profitẽtur, quæ longe diuersa apparent ab ijs, quæ in scholis communiter de Nestorio disputantur: ita vt si quando contigit nostris cum illis de Fide differere; visi sint Orientales, etiamsi bona fide agerent; voluisse nos decipere, hæreticumq; sensum vocibus ad orthodoxiam appropinquãtibus, palliare. Quod Chaldæorũ deceptor Theodorus Mopsuestenus, teterrimus hæresiarcha maximè conatus est; qui hac de causa quãuis pessimus extitisset hæreticus, inter sanctos Patres nihilominus diu habitus fuit. Sanè obtemperauissem voluntati, atque consilio virorum, qui apud me auctoritate, ac beneuolentia plurimum possunt. Verùm remorabatur me, quòd verebar, ne si hoc egissem, antequam huius tractationis pateret exi-

tus;

tus; id fortasse alicui videri posset affectata nimis industriæ, atque diligentiæ nostræ ostentatio. Nunc autẽ de negotij perfectione cum certiores nos reddiderit suis literis vir æquè prudens, ac pius, F. Thomas Nouariensis Franciscanæ familiæ Alepi in Syria Custos; qui mandato Summi Pontificis Synodo interfuit, habitæ à Babylonis Patriarcha cum Archiepiscopis, & Episcopis suis in ciuitate Amed in Mesopotamia; omnis suspicio remota est. Propterea alacri animo nostrã disputationem euulgo; eoq; libentius, quòd ipsa veluti præparatio quædam erit ad Synodi Patriarchæ Babylonis acta, quę propediem missurum se scripsit idẽ Alepi Custos; melius percipienda. Prodit autem Amplitudini tuæ Card. Illustris. commẽdata, tibiq; à me summio studio dicata; primùm vt si quid dignitati materię ingenij mei culpa detractum est; splendore tui nominis restituatur: deinde vt officio meo satisfaciã. Nostra enim qualiacunque sunt, Amplitudini tuæ debentur; siue ex munere, in quo Pont. Max. Auunculo tuo, tibiq; inseruio; siue propria voluntate tuis in me beneficijs, atque gratijs deuincta. Omnipotẽs, ac misericors Deus pijs, ac generosis consilijs tuis benignus aspiret, tuisq; votis clemẽter annuat semper.

DE CHALDAEORVM NATIONE EORVMQVE PATRIARCHA.

CHALDAEORVM gens olim sapientia, opibus, imperio adeò celebris, hodie misera seruitute oppressa, Turcis, ac Persis subiacet; diuersisq; nationibus admista, Mesopotamiam incolit, per vicinas regiones Indiam vsque Orientalem dispersa. Christi fidem profitetur; sed erroribus infectam grauissimis, pro quorum differentia Chaldæi quoque diuiduntur inter se. Nam alij ex ipsis appellantur Iacobitæ, alij Nestoriani. Iacobitæ à Iacobo Dioscori discipulo dicti, hæresim Eutychianam sequuntur, quamquam Eutychem anathematizent. Nestoriani Nestorianam: atque vtraque pars proprium habet Patriarcham. Qui Iacobitas regit, Antiochenum se Patriarcham nominat, etiamsi minimè illam Ecclesiam obtineat: sed Amed, seu Charemet resideat; quæ ciuitas est valdè nobilis, & ampla in Mesopotamia. Ad quem Gregorius XIII. Nuncium Apostolicum misit, cum confirmatione Patriarchatus, ac Patriarchali pallio, Leonardum Episcopum Sidonienſem anno salutis

lutis M. D. LXXXIII. ſpe motus, quam in eo excitauerat reconciliationis illius Patriarchæ cum ſancta Apoſtolica Sede Nehemes eius frater, olim & ipſe Iacobitarum Patriarcha; qui declinandæ Turcarum perſecutionis cauſa, ad Gregorij charitatem confugerat. Legationis ſuæ ſucceſſum parum fœlicem Epiſcopus Sidonienſis reuerſus, infecta re, renunciauit poſtea Sixto Quinto, commentario diligenter conſcripto, in quo multa ſcitu digna leguntur de hac natione. Neſtorianorum autem Patriarcha Eccleſiæ Babylonis præeſt, eiusq; reſidentiæ locus eſt Monaſterium ad oppidum Muſul, in ruinis antiquæ Niniuis, vt aiunt; ædificatum. Diſſident inter ſe Iacobitæ, atque Neſtoriani odio implacabili: ſed Neſtoriani numero, atque opibus præſtant; quorum ad trecenta millia, & amplius domorum recenſentur: cum familiæ Iacobitarum numerum octoginta millium non excedant. Itaque Patriarchæ Neſtorianorum ampliſſima eſt auctoritas, eaque in Indiam ſe extendit. Nam Chaldæi, qui Goæ, Cocchini, Angamalæ, atque in Inſula Sancti Thomæ ante aduentum Patrum Societatis Ieſu reperiebantur, omnes pariter profeſſione Neſtoriani; obediebant Patriarchæ Babylonis. Nunc quidem magna eorum pars, ſtudio, ac diligentia Ieſuitarum, ad Eccleſiam ſanctam Catholicam reuerſa, Summum Pontificem colit. Defuncto q; nuper Metropolitano Chaldæo, ſucceſſorem ab Apoſtolica Sede ſuſcepit Archiepiſcopum Angamalenſem à Clemente VIII. ex Societate Ieſu ordinatum. Ante Pontificatum Iulij III. nomen huius

Pa-

Patriarchæ ignotum penè noſtris fuiſſe videtur: neque de ipſo, neque de Chaldæorum natione mentionem vllam factam fuiſſe in Pontificum Romanorum monumentis reperio. Sedente verò Iulio III. cum nonnulli ex Chaldæis Neſtorianis ſe ab obedientia Patriarchæ ſubtraxiſſent; deteſtataq; Neſtoriana hæreſi, in communionem veniſſent Catholicæ Eccleſiæ; illis Summus Pontifex, vt poſtulauerant; Patriarcham ordinauit, eundem, quem ipſi hac de cauſa legauerant; Simonem Sulacham ordinis ſancti Pachomij Monachum. Is cum Patriarchali pallio, atque titulo Patriarchæ Aſſyriorum Orientalium ad ſuos redijt; & Charemet, ſiue Amed reſidens, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Sacerdotes quamplurimos ordinauit. Sic igitur Chaldæorum natio vni Patriarchæ Babylonis vſque ad illa tempora ſubiecta; in duas partes diuiſa fuit. Sulacha deinde à Turcis, aduerſariorum opera, vt fertur; è viuis ſublato, ſufficitur in eius locum Abdieſu eiuſdem ordinis Monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, & ſacrarum literarum notitia; de quo in vita Pij IV. præclara fit mentio; cuius Pontificatu Romam venit pro confirmatione; qui & Tridentino Concilio interfuit. Eius autem effigies depicta conſpicitur in Aula Regia Palatij Vaticani inter Cardinales, ceterosq; Prælatos Alexandro III. aſſiſtentes, Imperatorem Fridericum pœnitentem Venetijs recipienti. Plurimum quidem profecit Abdieſu, multosq; ex Neſtorianis ad Eccleſiam Catholicam conuertit; acceptamq; ab Apoſtolica Sede auctoritatem valdè propagauit; quam eius ſucceſſores poſtea conſeruare ſibi, aut

neſcie-

neſcierunt, aut non potuerunt. Nam qui ei ſucceſſit Ahathalla,& ipſe Monachus eiuſdem ordinis; parũ vixit. Et Denha Simon poſtea ex Archiepiſcopo Gelu,& Seert factus Patriarcha, nec ætate,neque doctrina idoneus tanto muneri; tempore, quo Epiſcopus Sidonienſis in Oriẽtem profectus eſt Nuncius Apoſtolicus; relicto Charemet, vbi alij Patriarchæ Orientalium Aſſyriorum reſederant;in Prouinciam Zeinalbech ſeceſſerat ad fines Perſidis; potentiæ cedens Patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodie manet eius ſucceſſor, Simon quoque & ipſe vocatus; exiſtimatione, ac numero ſubiectorum, vt accepimus; prædeceſſoribus longè inferior. Ita vt Patriarchæ Babylonis ſtatus nunc videatur in priſtinum reſtitutus, æmulo ſponte ſua quaſi in exilium relegato. Igitur qui modo ſedem Babylonis obtinet, Mar Elia Chaldæorum Patriarcha multò minus, quàm prædeceſſores ſui domeſtico diſſidio laborat; ſubiectamq; eius obedientiæ nationem pacificè gubernat: Metropolitis, & Epiſcopis, Cleroq; non modò obtemperantibus ei, ſed ipſum valdè diligentibus. De dogmatibus igitur Fidei horum Chaldæorum, qui hactenus vocati ſunt Neſtoriani; diſputatio noſtra inſtituta eſt.

PROLEGOMENA.

DISPVTATIONIS OCCASIO.

ONTIGIT (ita disponente diuina prouidentia) vt inter eos pauperes, quibus anno primo sui Pontificatus Sanctissimus D. N. PAVLVS QVINTVS solemni ritu pedes lauit quinta feria Maioris hebdomadæ; duo reperirentur Chaldæi, vnus monachus, alter laicus, qui sanctorum Apostolorum limina visitaturi, paulò ante Romam venerant. Hi postea domum reuersi, cum renunciassent Eliæ Babylonis Patriarchæ, cuius obedientiæ subiacebant; quanta paterni amoris significatione eos Summus Pontifex excepisset, eiusque nomine nonnulla munera illi attuliſſent;

& libellum reddidissent professionis Fidei, quæ Orientalibus ad Vrbem venientibus credenda, confitendaq; proponitur; ipse tanta in se, suosq; commotus charitate, quamprimum legatos ad Summum Pontificem decreuit, qui ei gratias agerent; vtq; communem patrem, ac dominum agnoscerent; & illius obedientiæ subiectum se esse significarent. Profitebatur enim Patriarcha vnum, idemq; cum sancta Romana Ecclesia de Fide sentire. Nam Chaldæi Sedem Babylonis ab Apostolica Sede constitutam; & subinde Fidei doctrinam ab eadem accepisse; constanter asserunt. Et quamquam manifestissimis implicati sint Nestorij erroribus, atque hæresibus; ostendere nihilominus omni studio contendunt, differentiam inter nos, & ipsos consistere in verbis tantummodo, non autem in sensu verborum. Legati statim ac iter ingressi sunt, in latrones inciderunt, itaque alios decernere oportuit. Multis & hi quoque calamitatibus afflicti, etsi Romam peruenerint; nihil egerunt, immo legationem suã suspectam reddiderunt. Perterriti enim quia audiuissent, quam execrabile esset, & quàm odiosum apud nos Nestorij nomen; vt nestorianæ hæresis inuidiam declinarent, nonnullas abstulerunt paginas ex libris, quos ad recognoscendam doctrinam fidei, quam profitentur, & Ecclesiasticos eorum ritus; obtulerant; ita persuasi à subdolo quodam interprete neophyto antea hebræo; propterea dimissi re infecta abierunt. Quod cum in eorum reditu Patriarcha postea intellexisset; & ex his quæ legatis in Vrbe acciderant; cognouisset, negocium imprudentia eorum perturba-

turbatum, inuersumq; fuisse; statuit, inito cum Episcopis suis consilio; denuo legatum mittere, qui non tantum officia obedientiæ, atque obseruantiæ Summo Pontifici debita præstaret; sed rationem Fidei quam Chaldæi profitentur; redderet, ac si error aliquis in eorum professione reperiretur, correctionem humiliter ab eo postularet. Legatio demandatur Adæ Archidiacono Cameræ Patriarchalis Monachorum Chaldæorum Archimandritæ, viro docto & prudenti. Is ad Vrbem anno tertio à discessu priorum legatorum venit, & Sanctissimo D.N. literas Patriarchæ sui reddidit; & cum illis Fidei professionem, atque commentarium à se iussu Patriarchæ sui compositum de conciliatione dogmatum Chaldæorum cum Fide Catholica; postulauitq; summa animi demissione, vt cuncta diligenter examinarentur, expenderenturque, & pro necessitate saluti eorum consuleretur.

Harum scripturarum recognitione occasio sumpta est habitæ disputationis; propterea existimauimus, illarum quoque exempla necessario præponenda esse.

EPISTOLA PATRIARCHAE BABYLONIS AD S. D. N. PAVLVM PAPAM V.

EX CVBICVLO PATRIARCHALI orationes, & benedictiones concedantur vobis.

AB humili Elia Orientali, qui per gratiam Dei Sedi sanctæ Babylonis inseruit, adorationes continuæ, & inclinationes perpetuæ, genuflexioneſque ſempiternæ ante ſanctos pedes tuos, ô Pater benedicte, & caput Patrum, Sol Chriſtianitatis, & nomen in quo ſitum eſt ædificium Eccleſiæ Eccleſiarum. Dominus meus, & Pater meus Papa, Dominus Pater Patriarcharum omnium, qui in vniuerſo ſunt.

Sciat tua erga nos Charitas, quòd peruenerunt ad nos literæ, & Fides tua firma, & benedictiones quas miſiſti humilitati meæ, & accepi benedictionem ſimul cum populo meo, & gratias Chriſto egi, eo quòd dignus benedictionibus Sanctitatis tuæ, atque memoria illuſtri factus ſum, & numeraſti

me

me inter filios tuæ Paternitatis præter mea merita. Ego verò statim misi gratiarum actionem, & literas, & Fidem meam. Sed obuiam venerunt legatis meis pessimi homines, & omnia abstulerunt ab eis, & euacuati reuersi sunt ad me, & iterum misi alios, nec etiam hi venerunt ad tuam Sanctitatem, quod ægretuli simul cum Episcopis, & Archiepiscopis meis, & dixi: Quid faciam, non possum ire, quoniam non relinquunt me Principes oppressores nostri, neque etiam Ierusalem adire, tenent nos tamquam seruos, & non relinquunt nos facere voluntatem nostram. Tandem misi tuam Fidem, literasq; tuæ puritatis cum filio meo fideli, consiliorumq; meorum conscio Patre Ada, vt ostenderet eas in omnibus regionibus nostris, vt videremus quid nobis Orientalibus faciendum esset: & permansit in his regionibus per annum integrum, & simul omnes consuluimus, & misimus ad tuam Sanctitatem hunc ipsum Patrem Adam, & misi cum eo Fidem, literasq; meas, & dixi de his, vt coram Paternitate tua extra ea, quæ scripta sunt ageret; quoniam ipse est caput Patrum, & Abbas monachorum Orientalium, & neminem habemus eo nobiliorem, vt tota pars Orientalis fatetur. Atque nunc, ò Pater, submisso capite adoramus ante Sedem tuam sine fraude & dolo, & præceptum tuum à me est receptum ex præcepto illius, qui claues tradidit tibi. Neque negabo illam vocem dictam Petro: quod tibi tradidi claues Regni, & quod ligabis in terra, sit ligatum in cœlis, & quod solueris in terra, sit solutum in cœlo. Et non obsistam sicuti reliqui hæretici contra præceptum sanctorum Apostolorum, & Patrum orthodoxorum, qui affirmauerunt, quòd Sedes Romæ Magnæ teneret principatum; & ipsa est caput omnium se-

dium; absit à me; sed fateor, quod Ecclesia Romana sit Mater Ecclesiarum. Et qui hoc non ita fatetur, sit anathema. Et sedes nostra Babylonica non ex se electa est, sicut aliorum hæreticorum, qui sine lege multiplicauerunt Patriarchas in mundo, sine Sede Ecclesiæ Magnæ Romæ; sed ex præcepto Papæ, & ex consilio Ecclesiæ Romanæ electa est sedes Babylonis, & ita scriptum inuenitur apud nos in annalibus: quod videlicet Patres Orientales Romæ ordinabantur. Sed factum est postea, vt cum mitterent homines propter confirmationem; in itinere interficerentur: & cum diu hoc fecissent omnes perirent. Hoc autem Ecclesiæ & Pontifici narrato; Pontifex consilio inito decreuit, & dixit: ordinemus eis Patriarcham, & permittamus, vt Patriarchas sibi eligant, ne in via intereant propter confirmationem, neque eis mala accidant, & nos peccemus, aut ipsi sint extra ouile Romæ. Sic itaque accepimus potestatem vsque adhuc, & non à nobis ipsis aliquid fecimus, vt reliqui qui Apostolorum canones conculcauerunt, & leges Patrum; & impleuerunt terram Patriarchis sine necessitate. Propter hoc vocata est Sedes Babylonis quinta, propter quattuor Sedes quattuor Euangelistarum; & ex eo quod electus est Patriarcha cum confirmatione Romana, & dedit nobis facultatem vt constituamus pastores, tunc vocata est sedes Babylonis, quæ quattuor comitatur sedes, & quinta numerata est sicut vna ex his. Etenim, ò Pater, ecce Fides mea peruenit ad tuam Sanctitatem cum epistolis, & videas si est dolus in professione nostra, aut est error, aut recessio quædam à Matre nostra Ecclesia Romana; ADMONE, ET FACIEMVS, DOCE, ET OBEDIEMVS. *Et si in omnibus veri sumus*

mus ante Sedem tuam, & non est dolus in Fide nostra; petimus à benignitate tua, ne paupertatis seruorum tuorum obliuiscaris; quoniam multi ex professione nostra pericula tulerunt, cum apud vos venerint. Aliqui enim ex his mortui sunt; alij interfecti ab hostibus; & pauci reuersi sunt, & peruenerunt ad nos. Et hoc sufficiat Sanctitati tuæ à nostra humilitate, quòd ex vltimis Orientis partibus, super capita & oculos nostros, præcepta tua feramus, & venimus contra omnes nationes sanguine nostro & sustinemus calamitates, vt ante excellentiam vestram adoremus, & benedictionem à Matre Ecclesia Magna Pauli & Petri accipiamus nos humiles & subditi. Quis vrget nos, vt hoc faciamus, nisi fides Christiana & amor vester erga humilitatem nostram? Et hoc, quod vestræ sapientiæ indicauimus, sufficiat; sed hunc totum laborem sustinemus propter Romanam Ecclesiam. Et ministri vestri Ierusalem tenent omnes qui sunt ex professione mea tamquam exteros, atque rebelles ab Ecclesia Romana; & non gratificantur nobis sicut antea; quoniam interpretes eorum sunt ex professionibus, quæ nos habent odio, & ipsi ministri vestri non inquirunt veritatem. Petimus à Sanctitate tua, vt admoneas eos, vt tamquam eos, qui sunt ex professione tua, nos teneant, & beneuolos se reddant ijs, qui sunt ex professione nostra. Ego verò litteras misi ad præceptores vestros, vt dominarentur in Ierusalem ijs, qui sunt ex professione nostra, quoniam apud nos scriptum est in annalibus, quòd Archiepiscopus noster, qui erat in Cypro, & ij, qui sunt ex professione nostra, qui habitant Ierusalem, & Clerus qui erat in Monasterio sancti Iacobi Nisibi, inter filios Ecclesiæ Romanæ numerantur, propter amorem Paternitatis

vestræ erga humilitatem nostram. Et nunc qui sum ego, & omnes mei, & omnis pars Orientalis? Nos tamquam balbutientes coram Sanctitate tua, sed tamquam serui obedientes tuæ Dominationi subdimur, & intellectu à scissionibus alieno pedes sanctos tuos deosculamur, & summa cupiditate salutem Sanctitati tuæ desideramus, & ad orationes vestras, & conseruorum tuorum Petri & Pauli confugimus, vt digni efficiamur peccatorum remissione in die Iudicij terribilis Dei Verbi; cui & Patri suo, & Spiritui sancto sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PROFESSIO FIDEI PATRIARCHÆ BABYLONIS.

EX CVBICVLO PATRIARchali orationes, & benedictiones concedantur vobis.

FIdes Domini Eliæ Patriarchæ Babylonis est ad Dominum Papam Patrem omnium Patrum anno secundum Græcos 1920. nimirum anno 1610. per Patrem Adam.

Ego Elias humillimus, & alienigena, & seruus minimus Iesu Christi, qui est Deus verus ex Deo vero, cui per gratiam & præter mea merita, credita est sedes quinta Babylonis; genuflecto ante te, & totum me submitto ante pedes sanctos tuos, ò Pater, qui locum obtines sancti Petri patrisfamilias Iesu Christi mediatoris inter Deum & gentes; ò Domine Papa, custos Sedis, & caput omnium Sedium. Ego balbutio ante

tuam

tuam Paternitatem tamquam puerulus ante matrem suam misericordem, & repeto meam Fidem, quæ nullo modo aliena est à tua Fide, etiamsi aliquando diminuta, aut addita videatur; sed unus est finis & sensus, sicut unus est Deus, & unus est mediator inter Deum & homines, filius hominis Iesus Christus, Deus super omnia; ita etiam una est Fides in eo. Ac in primis demonstrabo Fidem meam in Trinitate sancta, & æquali in substantia Patris, & Filij, & Spiritus sanctitatis, personæ æquales, & non diuisæ.

CREDIMVS *in Deum Patrem, qui est factor cæli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt, ex ijs quæ videntur, & non videntur.*

Et in Filium, qui est ex eo, & qui est æqualis cum eo in essentia; & non est minor suo genitore, & factore omnium creaturarum.

Et in Spiritum sanctitatis, qui procedit ex Patre, & non est genitor, neque genitus; & ipse est substantia gloriosa, & æqualis in substantia cum Patre, & Filio.

Pater genitor, & non genitus est; & Filius genitus, & non genitor est; & Spiritus sanctitatis procedens non genitor, neque genitus est.

Et confitemur etiam, quòd hæc est una natura Trinitatis sanctæ, quæ glorificatur in tribus personis; non est mortalis, neque comprehensibilis, neque variabilis, neque passibilis. Cum in fine temporum propter nos, & propter nostram salutem, & propter nostra debita Filius Dei persona adorata filiationis descendit ad nos, & suscepit corpus ex Virgine Maria sancta filia Dauid; & est perfectus in anima,

ma, & intellectu, & in omnibus humanis, sicut nos, præter peccatum; cum salutationem ipsam plenam vitæ nuncius pacis Gabriel attulerit Beatæ Virgini, in cuius responsione ipsa dixit: Ecce ego ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum.

Descendit Deus Verbum in Virginem, & coniunctus est cum homine, qui in ea compactus est in virtute Spiritus sanctitatis; & factus est vnum cum ipso homine, sicut coniunctio ignis cum ferro.

Et confitemur quod corpus, & animam, & intellectum accepit, & non sine anima, & intellectu, sicut existimant errantes.

Et hoc fieri non potuit, quòd in sua natura appareat creatis; sumpsit corpus naturam secundam, hominem perfectum è genere Adæ, ad salutem ipsius Adæ.

Et in eo corpore in quo reuelatus est mortalibus, eis locutus est; & fuit sicut illi in vnione, quæ non diuiditur, & filiatione, quæ non separatur. Ille, qui natus est ex Patre ante sæcula in sua Deitate, natus est in fine temporum ex Virgine Maria in sua humanitate; cum naturæ & proprietates in vna persona vnius filiationis conseruentur.

Non Deitas sua ex natura Matris, neque humanitas ex natura Patris.

Sed vnitas sine comixtione, & confusione, atque permixtione; dum credimus Paulo, qui dixit, quod ille qui est Species Dei, ipse accepit Speciem serui.

Quem fortè vocauit Speciem Dei, nisi Christum in sua diuinitate? & quem fortè speciem serui, nisi ipsum Christum in sua humanitate?

Ergo

Ergo non possunt corrumpi proprietates naturæ post vnionem. Non enim Deitas conuersa est in humanitatem, & humanitas in Deitatem.

Essi Deitas mutata esset, non quidem vnio, sed corruptio in Deitate fieret; & si tandem humanitas mutata esset, non vera salus, sed detrimentum in humanitate fieret.

Ita credimus in cordibus nostris, & confitemur labijs; vnum Deum Iesum Christum Filium Dei, cuius Deitas non celatur, neque humanitas aufertur, sed Deus perfectus, & homo perfectus.

Et dum Deum Christum vocamus, non Trinitatem nuncupamus, sed vnam ex personis gloriosæ Trinitatis: & dum hominem Christum dicimus, non omnes homines vocamus; sed illud corpus quod scienter acceptum est pro nostra salute, propter vnionem cum Deo Verbo.

Propter hoc Dominus Iesus Christus ille, qui genitus est in sua Deitate ex Patre ab æterno; temporibus vltimis, propter nos natus est ex Maria Virgine, vnitus cum natura suæ humanitatis.

Et dum in natura suæ Deitatis sine passione, necessitate, & variatione permansit in natura humanitatis; circumcisus est, & creuit secundum testimonium Lucæ: Quòd Iesus crescebat in statura, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines; seruauit leges; baptismum sumpsit; dum in virtute Deitatis suæ miracula operabatur, nimirum emundationem leprosorum, apertionem oculorum, & dæmonum expulsionem. In natura humanitatis esuriuit, & sitiuit, ac manducauit, & aquam bibit; passus, crucifixus, & mortuus est.

Dum Deitas ex ipso non discessit, neque demigrauit neque in

ven-

ventre, neque in cruce, neque in sepulchro. Dum enim in sepulchro positus est, post tres dies surrexit, in virtute ineffabili suæ deitatis; & os eius viuificans dixit Iudæis; Destruite templum hoc, & post tres dies reædificabo illud: & declarat Euangelista, dum dicit, quòd de sui corporis templo intellexit.

Et postquam surrexit conuersatus est in terra cum discipulis suis quadraginta diebus, & ostendebat eis manus, & pedes, dicens ex ore suo sancto: Palpate me, & scitote, quòd spiritus carnem & ossa non habet, vt me videtis habere; vt confirmet eos de resurrectione in verbo, & opere.

Etiam afferre possumus multas auctoritates in medium Domini mei, quòd nos Orientales afflicti, atque vexati non præuaricati sumus, neque defecimus à sententia Apostolorum, & fundamento fortissimo, quod tradiderunt nobis; sed hæc amantibus veritatem sufficiant, & eis, qui non sunt perturbati fulminibus inuidiæ, & odij immeritò contra baptizatos.

Etsi dicunt contra nos, quòd non fatemur, quòd Virgo sit Deipara, nimirum Mater Dei; sed Christipara, hoc est Mater Christi Dei super omnia; & propter hoc nos in causa sumus. Sed hoc nihil est; hoc enim positum est propter confirmationem, & reprobationem falsæ opinionis Apollinaris, qui dicebat Deitatem esse sine humanitate; & ad confusionem sceleris Semistij, qui ponebat hominem simplicem esse Christum, nimirum humanitatem sine diuinitate.

Et duæ partes anathema sunt, & expulsæ, atque ab Ecclesia Romana profligatæ, dum testis verus Matthæus in principio sui libri ita dixit: Liber generationis Iesu Christi, &

& ge-

generatio Iesu Christi ita fuit. Et Paulus dixit: Et illis apparuit Christus in carne, qui est Deus super omnia. Et Petrus Princeps Apostolorum dixit: Tu es Christus Filius Dei viui; in qua responsione beatitudine dignus factus est.

Et si propter hanc responsionem expulsione digni sumus, nescio quid respondeant Apostolis, qui hoc affirmauerunt: quoniam nos in hac denominatione Christi, duas naturas Deitatis, & humanitatis continemus, & non simplicitatem in Christo confitemur sicut de nobis obloquuntur.

Etiam suscipio omne id, quod docet Sedes sancta Apostolica & Catholica Ecclesia Romana omni amore, & veneratione; & teneo, ac recipio omnes etiam Doctores Ecclesiæ Romanæ; & teneo, quòd Sedes sancta Romana sit Apostolica, & Papa Romæ sit tenens locum illius, & sancti Petri Principis discipulorum; & ipse verè personam Christi referat; & ipse sit vicem gerens, & Caput super omnes Ecclesias; & sit pater doctorum omnium Christianorum, & quòd ei tradiderit, mediante sancto Petro, potestatem perfectã, vt oues illius pascat; atque etiam credo in vnam congregationem suæ Ecclesiæ. Etiam confiteor neminem posse saluari sine Ecclesia sancta Catholica prædicta, neque vitæ æternæ esse participem.

Item credo sicut filius obediens; & semper obtemperabo ordinibus, & confirmationibus, atque legibus Pontificis Magnæ Romæ, qui nostro tempore viget; & etiam omnibus, qui ei succedent in Pontificatu Romæ.

Etiam credo in Trinitatem, quæ est immensa, vt cognoscatur, quæ est vna, & vna, & vna.

De vna natura essentiæ verificatur sicut dicitur: Dominus Deus

Deus tuus Dominus vnus est, Dominus omnipotens: idest Pater, & Filius, & Spiritus sanctitatis.

De varietate personarum essentiæ verificatur, sicut habet traditio Euangelij Christi viuificantis: Exite, & docete omnes populos, & baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sanctitatis.

Illud verò, quod addiderunt Patres; Deus, Dominus, & Spiritus sanctitatis apertè demonstrauerunt, nomina esse communitatis; & singulas earum, scilicet omnes tres personas esse nomina communitatis, quod est apertè sine diuisione, quòd Deus sit causa Filij, & Spiritus.

Non causâ naturæ, sed proprietatum.

Et Filius est genitus à Patre sine quando, vbi, & quomodo.

Et Spiritus sanctitatis est procedens ex Patre sine diuisione.

Et omne id, quod habet Filius, habet Pater & Spiritus, præter proprietatem esse geniti.

Et omne id, quod Spiritus habet, habet & Pater & Filius, præter proprietatem processus.

Vnus Deus, qui non comprehenditur in vno. Tres personæ, quæ non diuiduntur in numerum vnius, duorum, & trium. Quæ sunt vnitæ & diuisæ; & diuisæ & vnitæ; quæ non comprehenduntur à creatis, sicut testatur diuus Paulus; & Ioannes Theologus.

In hac Fide viuo, & morior Ego humilis, & minimus Elias, per gratiam Patriarcha Sedis Babylonis, & testis mihi sit Deus, & Angeli eius sancti, & Principatus nostræ nationis Iesus Christus, & omnes Apostoli beati; cui, & Patri suo, & Spiritui sanctitatis honor, & gloria, confessio, adoratio in sæcula sæculorum.

COM-

COMMENTARIVS

Adæ Archimandritæ Monachorum Chaldæorum, Cameræ Patriarchalis Babylonis Archidiaconi.

DE CONCILIATIONE FIDEI

Orientalium, cum Fide S. R. E.

EPISTOLA ELIAE PATRIARCHAE

Babylonis ad Sanctiſsimum D. N.

PAVLVM PAPAM QVINTVM.

De huiuſmodi Commentario.

EX CVBICVLO PATRIARCHALI orationes, & benedictiones concedantur vobis.

FIDES *ſerui fidelis eſt, qui Domino ſuo nihil abſcondit, ſed omnia ſicut ſunt, Domino ſuo aperit. Propter hoc, me ſeruum humilem, & peccatorem Eliam Sedem Babylonis cuſtodientem, decet aperire verum ante Paternitatem ſanctam tuam, ò Domine Papa Paule Quinte, corona Chriſtianitatis, & caput capitum, & Paſtorum Eccleſiæ ſanctæ, & alienæ ab omni hæreſi.*

Diu

Diu perquisiuimus, & diligenter perscrutati sumus nos Orientales de Fide secunda hac vice, qua ad nos tuas literas misisti; & vocaui Dominum Gabrielem seniorem omnibus Archiepiscopis, & Sacerdotem Israel, maximum omnium Grammaticorum, & Dominum Adam Abbatem, & dixi eis: Quoniam in nostra natione nullus est perspicacior vobis, determinemus quid faciendum. Nam ecce libri nostri admonent nos de Ecclesia sancta, & Sede Apostolica Domini Papæ Romæ, quoniam ipse est Pater Patrum, caput Pastorum, eum audite, & non declinate à præcepto suo. Et Patres nostri Orientales, omnes eos, qui ab Ecclesia Romana defecerunt; excommunicauerunt, & simul omnes conculcatores præcepti Domini Papæ, qui est loco sancti Petri fundamenti Ecclesiarum, & capitis Apostolorum. Sed video in professione nostra, quòd sit aliquid, quod non videatur iuxta professionem Papæ; & Patres nostri de hoc nihil scripserunt, sed hoc solum admonuerunt: Ne nos ab Ecclesia Romana deficeremus, neque à præcepto Domini Papæ habentis claues Regni declinaremus; & definiuerunt, & excommunicauerunt omnes transgressores horum verborum.

Variationes vero, & quæ non sunt iuxta Ecclesiam Romanam, hæ sunt.

Dominus Papa, cum omnibus Patribus magnæ Ecclesiæ Romæ vocant Virginem sanctam Mariam, Dei Genitricem. Nos verò Orientales eam Genitricem Christi vocamus.

Illi duas naturas Christi confitentur, duas virtutes, & duas voluntates. Nos autem fatemur vnam virtutem, & vnam voluntatem.

Illi

Illi etiam vnam personam fatentur in Christo. Nos quidem fatemur duas personas.

Et dicunt, quòd Spiritus ex Patre & Filio procedit. Nos verò fatemur, quòd ex Patre Spiritus procedat.

Etiam Patres Romæ dicunt, quòd illud, quod egreditur ex sepulchro Domini nostri non sit verum lumen. Nos verò cum omnibus nostris illud tamquam lumen accipimus.

Et Dominus Gabriel mihi respondit: quòd nos ita accepimus à nostris antecessoribus, quòd non sit diuisio inter nos, & Ecclesiam Romanam, nisi per ceremonias; & illi ita in omnibus regionibus suis suas ceremonias tenent. Et dixit mihi senior Israel: Quantum ego è libris nostris antiquis percepi, sanè non est vlla alia diuisio, nisi quòd alter alterum non intelligit. Verum de hac petitione tua: ecce Pater Adam ante te, qui ex adolescentia in solitudine probatus est, si aliquid potest tibi respondere. Et Patri nostro Adæ dixi: quid dicis de ijs? Respondit, concede spatium trium dierum, & respondebo tibi tertia die, quantum potest infirmitas mea, & quantum sufficiat. Et dixi, concedatur tibi spatium; & iuit ad cubiculum suum, & tertia die hanc scripturam attulit. Et placuit mihi, & omnibus meis, qui mecum fuerunt; & dedi illi literas simul cum Fide mea, & tuis epistolis, atque Fide; & misi illum ad regiones, & gregem nostrum scribens; quòd si quis habeat aliquid respondendum, afferat. Et benedictionem omnibus filij Orientis à Fide tua acceperunt ex epistolis sanctis, & anni curriculo reuersus est ad me, afferens mihi literas, in quibus erat, quòd illi omnes, qui sunt ex professione nostra sese submittebant. Et magnum gaudium de his omnibus percepimus; & sublatæ sunt omnes falsæ opiniones con-

tra id, quod dicebatur, quòd nostra Fides cum vestra non conueniebat. Hoc opus Patri Adæ filio meo dilectissimo, cubiculi mei Archidiacono tradidi, & ecce eum misi, vt ante vestigia pedum sanctorum tuorum ex parte omnium Orientalium adoret. Et omne id, quod dicit, & admittit tua Sanctitas, receptum apud nos Orientales est. Et omne id, quod præcipis, & cum eo mittis; confirma exemplis & auctoritatibus, vt omnibus circumuicinis gentibus prædicemus; & nemo verbis tuæ Sanctitatis contradicere audeat; & responsum illorum omnium scribe: an receptum est apud tuam Sanctitatem, nec ne; & nobis præcipe id omne, quod scis & decet, atque conuenit; & nostrum caput submissum est ante præceptum tuæ Dominationis. Et scriptura quam Pater Adam attulit; hæc est, cuius exemplum tuæ Sanctitati misi, & hoc modo scripta est.

INI-

SERMO DE FIDE DOMINI PAPAE ROMAE MAGNAE,

Et Domini Eliæ Patriarchæ Orientis.

HABITVS A PATRE ADAM Abbate Monachorum Orientis.

PROEMIVM IN QVO profitetur imbecillitatem ingenij sui, ad tam eximiam, ac præstantem disputationem suscipiendam.

SI *filij non debent thesauros reponere patribus, sicut præcipit Paulus; ergo multo minus debent serui dominis suis. Sed ne perieliter supplicio legum transgressorum illius vocis Apostoli: Serui obedite præpositis vestris in omnibus rebus; audi modo submissionem meam, & breuiter ante tuam Paternitatem honorabilem balbutiam, Pater & educator mi, Domine mi, Elias Catholice Patriar-*

cha Orientis; id, quod sub pedibus tuis edoctus sum, eloquar ego pauper & humilis Adam, seruus seruorum minimus. Quoniam ex me ipso nihil possum; & quicquid spiritus, & corporis habeo, à tua Paternitate cognosco, vt notum est Dominationi tuæ; propterea quòd à pueritia mea enutritus sum è micis tuæ mensæ, & sub alis tuæ Paternitatis educatus sum; & nunc quidem, eo quòd Paternitas tua præcepit mihi, vt pertractarem de Fide tua, & de Fide Patris vniuersalis, & Patris Patrum, & Rectorum, Patris & Domini Papæ Pauli Quinti, quàm misit ad tuam Paternitatem anno secundum Græcos 1920. Ego autem de hac re nihil scio, & super vires meas hoc onus suscipio. At fortè me orationibus tuis adiuuabit Deus; cuius virtus in abiectis demonstrari solet, & stultorum insipientiam sua sapientia infinita docere consueuit. Etenim, Deo iuuante, & orationum tuarum auxilio, dicere incipiam ante tuam Dominationem, id quod in ore meo ponit ille, qui loqui fecit Asinam, & perfluere aquas fecit à lapide, & qui lignum siccum florere fecit, vt daret fructus, & demonstrari fecit electum suum coram populo Israelitico.

EX-

EXCELLENTIAM DOCTRINÆ Fidei, quam profitetur S. R. Ecclesia, & principatum Summi Pontificis in Ecclesia sancta Catholica ex comparatione Abrahæ, & B. Petri Principis Apostolorum, ostendit.

CAP. I.

ORTHODOXIS, *& sapientibus notum est, quòd tota gubernatio veteris legis sit parabola, & exemplum nouæ legis; ibi enim idæa & figura, hic autem est corpus & perfectio: quoniam id omne, quod scriptum est in Gloſſa, scilicet in sacra Scriptura, & Prophetis; in Christo completum est: & ex plenitudine eius nos omnes gratiam pro gratia accepimus; quoniam lex per Moysem data est, veritas autem & gratia per Christum; vt testatus est Ioannes. Sed quoniam de Fide nobis dicendum est in præsentia, de ipsa agamus. Fidem enim apud Abraham in veteri illustratam esse videmus, quoniam Deo credidit, & viuificatus est; pater gentibus datus est. In noua verò apud Petrum celebrata, & completa ipsa Fides est, & constitutus lapis fundamento Ecclesiæ Dei; & omne ædificium, cuius fundamenta non iaciuntur super hoc fundamentum; non erigitur, nec perfici potest culmen, quod est Christus. Itaque omne id, quod est*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

apud Abraham, figuratè, & partialiter, atque temporaliter intelligite; & quod est apud sanctum Petrum spiritualiter, & perfectè, & in sempiternum comparate. Abraham autem in fide à regione sua, & à domo patris sui discessit, & exijt, quo iturus sit inscius, vt Apostolus testatus est. Petrus autem in fide reliquit omnia perfectè, & Dominum est secutus; quoniam verè sciebat, quòd esset Christus filius Dei viui. Et quemadmodum Abraham fuit Pater Patrum in lege veteri, sic fuit Petrus in noua. Quies Abrahæ in occasu solis fuit, & timor, ac tenebræ super eum ceciderunt, & per animalia, & volatilia quæ offerebat; futura, quæ in terra fieri assolent, didicit. Petrus autem hora sexta perterritus est, & vidit cœlos apertos; & per vas in quo erant animalia quadrupeda, & reptilia terræ & volatilia cœli, reuelata sunt mysteria, quæ fiunt in cœlo; eo quòd apertè vidit, quicquid sublatum est in cœlum. Abrahæ autem nomini, addita est vna litera, quæ est Fides; non enim amplius nomen tuum vocabitur Abram, sed Abraham; quoniam Patrem multarum gentium constitui te. Petrus autem perfectè deposuit hominem veterem, & renouatus est Christo: Tu es Simon Bar Iona, & Petra vocaberis; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Abrahæ dictum est: Benedicam benedicentes te, maledicam maledicentes te. Petro decretum est: Tibi dabo claues Regni cœlorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlo; & quodcumque solueris super terram, erit solutum in cœlo. Promissio Abrahæ, sunt, terræ populorum, & regna gentium. Promissio Petri est, potestas super ciuitates animarum, & sessio super sedes in cœlo. Abraham autem dignus factus est benedictione Melchisedec

Regis

Regis Solim, quæ est Ierusalem; & panem alimentum corporeum ei, sociisq; suis obtulit. Petrus autem, in fide benedictione factus est dignus à summo Sacerdote veritatis Ierusalem, cuius est factor, & auctor Deus; & in aula Syon dedit panem & vinum alimentum spirituale ei, & socijs suis. Ex Abraha autem circumcisio carnis incepit, & circumcisus est cum omnibus suis, ac etiam ex alienis gentibus aliquos circumcisit. Et ex Petro circumcisio spiritualis cordis; & propagata est ad gentes alienas, ad propagationem Fidei; sicut ipse dixit: A primis autem diebus per os meum elegit Deus, vt audirent gentes sermonem Euangelij & crederent; & Deus qui nouit corda, dedit, suffragatusq; est eis; deditq; eius Spiritum sanctitatis sicut & nobis; nihilq; discreuit inter nos & eos, quoniam purgauit fide corda eorum. In lege verò naturali familia Abrahæ ab vno ad alium in carne, & naturaliter producta est, donec terminata esset in reuelatione Dei, qui incarnatus est. In lege spirituali Petri producitur à Papa ad Papam, vsque ad secundum aduentum filij hominis, qui deificatus est. Quemadmodum autem ij, qui non sunt nati naturaliter ex Patribus, qui descenderunt à semine Abrahæ; à filiatione Abrahæ prohibentur, & alieni sunt ab ea voce, quæ est in Propheta: Dominus sors nostra est: quoniam ista filiatio est domus Abrahæ; & non gentium externarum; quia promissionem promisit Dominus cum eo, & cum omni semine suo in æternum; ita illi homines qui non generantur spiritualiter à Patribus Petri ab vnoquoque Papa sui temporis, prohibentur à filiatione spirituali Petri; & nullo modo possunt vocare Deum, Patrem nostrum, qui es in cœlis; quoniam familiæ Petri concessit Dominus Deus, vt ita voca-

rent eum; & non alienis à fide Petralium. Et omnis vir, qui non conciliatur, & regitur sub sceptro horum pastorum Petri, non est ex grege Christi; quoniam Dominus Petro dixit: Pasce agnos meos, pasce ouiculas meas, & pasce oues meas: & nemini præter eum. Magna est fides Abrahæ, & verus est amor eius, qui accepit cultrum, & posuit ad collum sui dilectissimi, & non prohibuit vnigenitum à Domino suo. Sed maior est fides Petri, ipsiusq; amor; quia ipsemet mortem suscepit pro Domino suo; mors autem crucis, & crucis contrario modo, vt parem gratiam referret Christo, qui lauit pedes eius in sudore faciei suæ; & lacrymis oculorum, & sanguine suo obtulit tria holocausta, iuxta tres confessiones, quibus respondit Domino suo: Tu Domine scis quia amo te: & pro remissione trium negationum inuoluntariarum, & non verarum. Et quemadmodum tercenti decem & octo viri ex familia Abrahæ corroborati sunt à Domino; & ipse Dominus fuit dux eorum; & comitatus est eos, & victoriam perfectam reportauerunt; hostes profligauerunt; ac virtutes eorum dissipauerunt, & liberauerunt seruos; & reuocauerunt eos ad opus suum: ita CCCXVIII. Patres Orthodoxi familiæ sancti Petri corroborati armis sanctitatis per Christum Dominum nostrum; & fuit Deus cum eis, & confirmauit verba eorum, & dissipauit superbos corde mentis suæ; sedauitq; errores hæreticorum, & dedit victoriam perfectam Ecclesiæ sanctæ, & confirmauit, & corroborauit fidem: & hoc modo oues Christi pauerunt in pratis gloriæ suorum canonum, & prope flumina aquarum placidarum, quæ à corpore eorum defluxerunt; & hortos plantauerunt fructibus salutaribus plenos, vt alimento essent omnibus fidelibus veris, se-

quenti-

quentibus eos. Igitur omnis, qui desiderat requirere veritatem, ad doctrinam Doctorum tercentorum decem & octo Petronicorum accedat, & non indigebit eleemosyna alienorum; quorum mysterium figuratur in tercentis decem & octo Abrahamitis. Et qui est confirmatus in sua fide, seruet eorum canones tamquam pupillam oculi, sine additione & diminutione; quoniam cum eis est Christus, & sicut voluit, cum eis fecit. Neque ego abiectus Adam volo de Fide quicquam dicere, præter id, quod docuerunt Apostoli, & Patres Orthodoxi; quoniam graue hoc onus mihi esse fateor; sed tantum desidero falsas opiniones contra nos immeritò dictas extirpare, & si possum pro eis amorem plantabo verum, quem generat fides; nutrit spes; & perficitur à charitate omnimoda, & perfusa bonis & malis, quæ est Deus omnipotens: quoniam Deus charitas est, vt scriptum est.

QVOMODO EXISTIMET POSSE conciliari cum veritate Catholica dogma Chaldæorum, quo tenent Virginem beatissimam esse tantum Matrem Christi. Cap. II.

DE illo enim, quod Orientales dicunt: Mariam Virginem sanctam, Christiparam esse; Patres verò Ecclesiæ Romanæ dicunt Deiparam; nunc dicere debemus. Perspicuum enim est sapientibus, quòd Deitas non generat, nec generatur; & non minuitur, neque crescit, neque variatur, neque diuiditur, neque comprehenditur: propter hoc Maria

genuit

genuit naturaliter Iesum; qui habet tria nomina propria & correcta: quorum testimonia in omnibus libris habentur, hoc est, Iesus, Christus, Dominus noster: Iesus autem nomen humanitatis; Christus nomen Deitatis & humanitatis; Dominus noster est nomen Deitatis. Propter hoc Maria genuit Iesum naturaliter hominem perfectum, sicut demonstrauit in principio Euangelij Matthæus: Liber generationis Iesu Christi: &, Cum impleti sunt octo dies, vt circumcideretur puer; vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo antequam in vtero conciperetur: & etiam: Iesus crescebat in statura & sapientia apud Deum & homines. Et dum conceptus est, verè Deus erat; sed in gradibus ascendit ad eam, scilicet Deitatem, vt erudiret nostram pueritiam. Etenim hic Iesus non est homo simplex, absit; sed ex illa hora compactionis humanitatis suæ de Spiritu sancto, incarnatus est; eo quòd persona Dei Verbi vnita sit, vnitione perfecta in illa humanitate; sine commixtione, confusione, & compositione constricta; & fuit vnus filius verus, Deus perfectus, & homo perfectus. Deus humanatus est, & homo deificatus est; dum nec ille diuisus est, nec iste variatus est. Non enim duo filij sunt, alius Deus, qui humanatus est, & alius Filius qui deificatus; (absit) sed ille qui humanatus est, & qui deificatus est; vnus est Filius verus, vna est species, vnus est visus, vnum Parsopa, vna filiatio. Et vocatus est Christus, hoc est Deus perfectus & homo perfectus. Et propter hoc Orientales vocant Virginem Christiparam, vt didicerunt à beatis Apostolis; & vera est ista confessio, vt testantur libri. Et id, quod vocant Patres Ecclesiæ Magnæ Deiparam, verum est: & eodem modo intelliguntur, vt definiunt & testantur Theologi,

logi, nempe Ioannes Euangelista, Paulus Apostolus, Gregorius Nazianzenus; hos omnes Theologos tenet Ecclesia. Ioannes enim testatur, quòd: In principio erat Verbum, & ipsum Verbum erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum. Et beatus Paulus: Deum super omnia vocat Christum. Et Gregorius Nazianzenus confirmauit: Omnis, qui non fatetur Mariam esse Matrem Dei, sine Deo est. Ergo omnis, qui est contra hæc verba horum trium Theologorum; alienus est ab Ecclesia, quoniam ipsi asseruerunt Virginem esse Genitricem Dei, verum est: & Genitricem Christi, verum est. Et Ioannes testatus est: quòd, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et Paulus dixit: quòd, Vnus est Deus, & vnus est mediator inter Deum & homines homo Iesus Christus. Et Gregorius dixit: Ille, qui sine principio principium habuit, & sine comprehensione comprehensus est. Nunc verò est vnus sensus, una sententia, vnus finis, & una interpretatio de illa voce Christipara & Deipara apud fideles orthodoxos: quoniam dum aliquam personam trium personarum sanctæ Trinitatis corde suo cogitat, totam Diuinitatem cogitat, ac etiam humanitatem sine separatione cogitat. Et dum aliquis humanitatem Christi cogitat, simul cum ea cogitat sine discessu suam Diuinitatem. Propter hoc Patres Romæ fatentur Virginem esse Dei Genitricem: & Orientales dicunt Mariam esse Christi Genitricem; & vtraque pars vera est.

EXPENDIT DOGMA CHALDÆORVM de duabus personis in Christo, & quo pacto conciliari possit cum doctrina Catholica de vnitate personæ Christi Domini Nostri.

Cap. III.

DE duabus in Christo naturis, & de vna persona, & vno Parsopa in Christo, quas Ecclesia Magnæ Romæ profitetur; & Orientales confitentur duas esse naturas, duas personas, vnum Parsopa: si Orientales Ecclesiæ Romæ obijciant: Quare duas naturas in Christo, & vnam personam fatemini? ecce nulla natura est sine persona, & vna natura ex persona demonstratur; & si non est persona, neque est natura. Et etiam Ecclesia Romæ obijcit Orientalibus; etiam vos, quare duas esse personas, & vnum Parsopa fatemini? ecce nulla est persona sine parsopa. Hic potest esse aliqua imperfectio, nisi vtraque pars incidat in illam vocem, nimirum esse vnum Parsopa: & hoc vnum Parsopa, quod vtraque pars fatetur, cogit vtramque partem ad eundem sensum intelligendum, & idem sentiendum; velit, nolit. Et alia ratio est. Orientales enim iuxta duas naturas dicunt, quod mente cognoscatur duabus personis, & oculis videatur in vno Parsopa vnius filiationis. Et Patres Ecclesiæ magnæ nunc non curant hic demonstrare naturas; eo quòd completè demonstrauerunt in duabus virtutibus, & duabus voluntatibus, quas fatentur. Nunc verò vnam filiationem demonstrare vo-

re vnum, & dicunt, quòd videtur & demonstratur in vna specie, vna magnitudine, & vno Parsopa vnius filiationis; & vtraque pars veritatem fatetur. Et duæ virtutes, quas Patres Ecclesiæ Magnæ Romæ fatentur veræ sunt; quoniam nulla est natura, quæ non habeat virtutem: & si in Christo duæ sunt naturæ, ergo duæ virtutes necessariò. Sed quid est hoc, quòd vtraque pars ponit incommixtionem, & incompositionem sine constrictione? nonne propter virtutem, quæ est in naturis, ne sit mutatio in vnitione Christi; quoniam vbicumque est compositio, necessario est mutatio, propter virtutem, quæ est in naturis; vt est commixtio aquæ, & vini, quæ cum commiscentur, virtus aquæ mutat vinum, & non erit vt erat antea; & potentia vini mutat aquam, & non erit vt antea. Et Dominus noster Iesus Christus non est mutatus neque in Deitate, neque in humanitate; & Angeli testantur, quoniam resurrexit: Viri Galilæi, quid statis, & suspicitis in cœlum? hic Iesus, qui eleuatus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum vidistis eum ascendere in cœlum. Et confirmauit beatus Paulus: Iesus autem Christus heri & hodie, & in æternum est. Orientales verò vnam virtutem fatentur; nec propter virtutem naturarum dicunt vnam virtutem, quia refugiunt vocem illam, commixtionis, veluti filij Ecclesiæ Magnæ; ne faciant mutationem, causa duarum naturarum, duarum virtutum perfectarum in Christo. Sed patet, quod non propter virtutem naturarum vnam virtutem fatentur; sed propter vnam vnionem perfectam veram, & sempiternam fatentur vnam potentiam; vnam potestatem, vnam dominationem, vnam gloriam vnius filiationis. Et quemadmodum Patres Ecclesiæ Magnæ vnam per-

sonam

ſonam fatentur propter vnam filiationem ; ita Orientales vnam virtutem fatentur propter vnam filiationem. Neque Orientales per virtutes demonſtrant naturas ; neque filij Eccleſiæ Magnæ per virtutes demonſtrant perſonas : ſed vtrique vnam filiationem demonſtrare debent; & vtraque pars eſt vera.

QVO PACTO EXISTIMET POſitionem Chaldæorum de vnica voluntate, & operatione in Chriſto non repugnare veritati duarum voluntatum, & operationum Chriſti. Cap. IV.

ET duæ voluntates, quas filij Eccleſiæ Magnæ fatentur veræ ſunt, eo quòd Chriſtus ſit Deus perfectus & homo perfectus ; & omne rationale neceſſario habet voluntatem, & ſi careat voluntate, non eſt perfectus. Orientales verò vnam voluntatem in Chriſto fatentur, non eo quòd alteram voluntatem conculcent, ſic dicunt ; ſed ne ſit confuſio in vna filiatione vnita Chriſto, dicendo voluntatem, & voluntatem humanam, & diuinam. Dicunt enim vnam voluntatem ; ſcilicet voluntas voluntatem ſecuta eſt ; nimirum coniuncta eſt vna voluntas cum alia ; & duæ voluntates vnum quid ſimul ſunt, ſicut vox Patris, qui exclamauit : Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et ipſe Filius teſtatus eſt : Non veni facere voluntatem meam, ſed

volun-

voluntatem illius, qui misit me. Et si Orientales vnam voluntatem fatentur in duabus naturis rationalibus, & perfectis Christi, quare dicunt de eo: Homo completus, & Deus completus? sed patet, quod dicunt propter coniunctionem perfectam. Sic autem asserunt: in alio sæculo, quod est Spiritus; non sunt voluntates contrariæ, neque multiplices, vt Pater Arsenius testatus est. Dum enim refugiebat habitare cum multis, dixit: Supra in cælo omnes choros Angelorum vnam voluntatem habere; homines verò, qui sunt in terra, tot sunt quot voluntates. Non enim habent vnam voluntatem, quæ non vult cogitare, nisi, vt voluntates suæ vni voluntati Dei subdantur. Sicut enim Dauid cantauit: Serui enim sui sunt, qui faciunt suam voluntatem. Et si inter se, & inter facturam manuum suarum non est discordia voluntatis; quomodo potest etiam inter Deitatem suam & humanitatem Filij, qui habet vnitionem in æternum? Inuenitur ne dualitas voluntatum contrariarum? (absit,) sed Filius voluntate humanitatis suæ volenter, & non vi subditur voluntati Deitatis suæ, eo quòd dixit Patri: At non fiat voluntas mea, sed tua. Hoc modo subditur Filius illi, qui subdidit ei omnia; & sic Deus est omnia in omnibus, iuxta verbum Diui Pauli.

DE PROCESSIONE SPIRITVS sancti à Patre, & quomodo Chaldæi non dissentiant in hoc à Sancta Romana Ecclesia. Cap. V.

DE Spiritu verò sancto, qui à Patre procedit, vt fatentur Orientales; & Patres Ecclesiæ Magnæ Romæ, qui profitentur, quòd ex Patre, & Filio procedat; vtraque pars veritatem agnoscit, & vnum testimonium verum veris fidelibus sufficit; illa nempe vox, quæ ex ore dilectissimi Iesu prolata est, quæ est: Ego enim & Pater meus vnum sumus; & quod sint vnum, ipse dixit; & non dixit; ad inuicem similes sumus: sed vnum sunt, & non duo. Et si sunt vnum & non duo, quæ diuisio est inter illam vocem, quam confitemur, nimirum quòd Spiritus sanctus à Patre procedat, ab ea; quòd ex Patre & Filio procedat? Ecce vnum sunt, & non duo; & nulla diuisio est inter illos. Etiam dixit: Ego sum in Patre, & Pater meus in me est; & : Qui me videt, videt illum, qui misit me. De Spiritu autem sancto dixit: Ille de meo accipiet, & renuntiabit vobis: Omne, quod habet Pater meus, meum est. Et si ita non est diuisio inter personas incomprehensibiles Deitatis absconditæ sine prioritate, & posterioritate; sine paruitate, & magnitudine; sine habitione, & priuatione in omnibus; quis vnquam discrimen ponet inter illam vocem: Spiritus ex Patre procedit; ab illa: Spiritus ex Patre & Filio procedit? Sed Orientales dicunt, quod ex Pa-

re

re procedit, quia sciunt, quòd nihil possidet Pater, præter id, quod habet Filius; neque Filius præter Patrem; quemadmodum didicerunt ex Filio viuo, qui dixit Patri: Omne quod habeo tuum est, & quod habes meum est. Et Patres Ecclesiæ Magnæ volunt ostendere, quòd Filius non est abiectior Patre vlla in re; non in essentia, non in filiatione, neque in potestate, neque in creatione; quoniam ipse est radius gloriæ suæ, & idæa essentiæ, & tenens omnia in virtute Verbi sui; Deus verus de Deo vero, connaturalis Patri suo, in cuius manibus facta sunt omnia. Dicunt igitur, quòd ex Patre & Filio procedit Spiritus salutaris, & vera est professio illorum sine dubio.

PROGREDITVR EXCVSANS propriam insufficientiam. Cap. VI.

AD iram concitauit cor meum calamus, & volo eum rumpere, quoniam veritatem dicere non vult, sed veritatis similitudinem scribere nititur; quoniam hic coopertum videtur id, quod est verum; illud, quod Patres acutissimi, & Philosophi Spirituales apertè demonstrauerunt; Pater Marcus, inquam, in suis libris, & Dominus Euagrius in suis centenarijs, & Dominus Ammonius in suis dictis; & reliqui omnes, & ceteri Philosophi. Omne id, quod fuit, est, & futurum est, visibile, & inuisibile comprehenderunt in nouem Cathegorijs; & ad incomprehensibilitatem Dei, manus ad os suum posuerunt, & retro reuersi sunt. Sed vnus ex præceptoribus suis, Plato (inquam), qui tempore Samuelis, & Dauid vixit; intuitus est in illum sermonem sacræ Scripturæ: Scito Israel,

quòd Deus tuus Deus unus est; & admiratus hac voce, in solitudinem se recepit, tuguriumque ibi sibi elegit; & accepit sacram Scripturam; & hunc sermonem trium annorum spatio, meditatus est. Et vidit Deus submissionem, & laborem suum, & reuelauit ei incomprehensibilem Trinitatem trium personarum Deitatis adorandæ; & reuersus est corripiens Iudæos dicens: Affirmant unum esse Deum nostrum; unus est & trinus, trinus & unus: & de hoc doctrinam magnam scripsit, & hodie ista doctrina posita est in Ecclesia ad Iudæorum confusionem, negantium Trinitatem incomprehensibilem essentiæ Dei, quæ est abscondita; illa, quam nullus homo vidit, neque potest videre; vt scriptum est. Etiam beatus Paulus exclamauit mirabiliter, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, nemo scrutatus est iudicia eius, & viæ eius sunt incomprehensibiles: sed multò magis suffocatur in hoc mari incomprehensibili; & pleraque pars stultorum ad barathrum damni sui expulsi sunt in hoc torrenti impertransibili, quem vidit Barabuz; quoniam desiderauerunt dulcedinem mellis inscienter, & spreuerunt monita Sapientis, qui dixit: Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud; hoc est: Sine scientia ne inquiras verba diuina supra tuam mensuram, ne fortè mensuram tuæ scientiæ perdas: quoniam non potest lingua carnis demonstrare id, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec super cor hominis ascendit. Et testificatur Diuus Paulus, quòd audiuit arcana, quæ non licet homini loqui. Et si hæc vera sunt, vt reuera sunt; quis audet regulas determinatas sub comprehensibilitate, Deo ponere, à quo plena sunt omnia? Et omnis, qui audaciam habet contra hæc

verba

verba aerem verberat, & volatiles aues apprehendere conatur, & de sua insipientia praedicare vult. Sed nos cibum solidum discretionem habentibus relinquemus, & lac inde sugamus, iuxta nostram possibilitatem, & nostræ scientiæ sapientiam: & obediamus, & subdamus nos sermoni vniuersali, qui viuat.

AGIT DE LVMINE, quod à multis creditur miraculosè accendi in die Sabbathi sancti, ad sanctissimum Domini Nostri sepulchrum; & finem imponit tractationi. Cap. VII.

LVMEN *verò, quod in Ierusalem lampadibus ostenditur; Patres Ecclesiæ Magnæ Romanæ meritò affirmant falsum, & apparens esse; quoniam lumen verum, & naturale non eget materia ceræ, aut olei, vt illuminare possit; neque in sæculo Spiritus aliquid compositum reperitur. Eleuate oculos vestros in cœlum, & videte luminaria nocturna, & diurna, quæ splendent, & fulgent à principio sæculi, & hucusque; fortè ne in materia aliqua illuminat Deus? Et si in materia splenderent, iam extincta essent; quia extingueretur materia, quæ causa illuminationis eorum est; & lumen eorum cum ea deficeret necessariò, sicut hoc lumen, quod est in Ierusalem. Sed patet, quòd Deus non corporaliter illuminat, sed ab eo simpliciter*

illuminantur, quoniam Pater luminis est, vt scriptum est. Si Christus est Deus verus ex Deo vero, & per manus suas omnia creata, & constituta sunt, quæ sunt in cœlo; non est necessarium, vt lumen artificiale credatur: sed opera manuum eius teneantur, agmina Angelorum, & artificium elegans cœli, & cœli cœlorum, & positio terræ, & omne, quod est in ea, & aquæ fluidæ cum omnibus ordinibus aereis mirabilibus. Quid dicitis? hæc ne sunt abiecta & nulla, vt celsitudinem Deitatis demõstrent, quasi egeat lumine artificiali? Et si lumen est, quare in ignem conuertitur? & si omne lumen mutatur, & conuertitur in lumen, ergo lumen non est, sed ignis est? Fortè ne probi homines propter eorum opera bona igne induuntur? absit: iuxta sententiam errantium ita locutus sum, qui afferunt ignominiam lumini totali & vero; & lumini creatoris, qui non pertransit, nec mutatur, nec perit, nec diminuitur, neque variatur, neque paruus fit. O animi perculsio magna; quoniam aliquis homo ingreditur, portamq; obserat, & ille homo Deum orat, vt super sepulchrum sui filij lumen descendere faciat, & si ille homo non vult, qui mediatorem inter Deum & hominem facit; lumen non descendit. Et si mihi dicitis, quòd lumen verum est, & horæ spatio durat, dum non accendit; quare cera liquefit, & lampas splendescit? Et ne decipiamini hac frigiditate, quam videtis vnius horæ spatio durare; ecce sanctus Gregorius Nyssæ, qui pluribus Cantica Canticorum Salomonis commentatus est; & scripsit de Cinamomo, quòd dum parum Cinamomi in ollam feruentem proijcitur, statim frigefit, & erit ac si non iniectus esset ignis sub eam. Est etiam lapis quem inuoluunt pannis lineis puris & candidis, & adproximant ad carbones ardentes, & nunquam illi panni

linei

linei comburuntur, quoniam influxus lapidis à parte interiori caliditatem ignis prohibet, & nunquam ille pannus interiectus inter lapidem & ignem comburitur; hoc enim oculis nostris vidimus. Etiam est auis, quæ fidenter in fornacem ignis ingreditur, & nunquam læditur. Etiã sunt panni, qui in igne mundantur; dumq; ignis comburit eorum sordes, à natura pannorum cohibetur ignis. Ignis etiam coopertus parum caliditatis suæ naturæ ostendit, dũ verò flat ventus tunc magis, & magis exardescit; hoc omnes fabriferrarij artifices faciunt, etenim cum volunt liquefacere opus manuum suarum, aerem addunt per follem igni, atque ita liquefaciunt sua opera. Hoc modo igne isto cooperto per artificium, & vclamina: parum caliditas eius diminuitur; & dum depromunt eum foras, & à vento percutitur, statim se ad pristinam naturam suam redijt. Ignis verò diuinus apud Moysem rogum accendebat, & rogus non comburebatur. Quare lumen ex sepulchro Christi Domini dum exit comburit? lumen ne Dei comburit, & ignis eius non comburit? hoc est absurdum. Verumtamen errorem errantibus relinquamus, & sequamur vestigia Orthodoxorum virorum arcana explorantium; ne impingamus in lapidem offendiculi, ne in Fide debilitemur, & sit pars nostra cum hypocritis, & opprimentibus veritatem Dei veri. Et ipse concedat nobis, vt eum cognoscamus sicuti est, vt debilitas nostra potest, per gratiam multæ suæ misericordiæ in sæcula sæculorum. Amen.

DISPVTATIO
DE
DOGMATIBVS
CHALDAEORVM.

ADMODVM REVER. AC DILECTISS.
IN CHRISTO PATRI
ADÆ ARCHIDIACONO CAMERÆ
PATRIARCHALIS BABYLONIS
ET
MONACHORVM CHALDÆORVM
ARCHIMANDRITÆ
REVERENDISSIMI D. ELIAE
PATRIARCHÆ BABYLONIS
AD SANCTISS. D. N.
D. PAVLVM PAPAM V.
LEGATO.

PETRVS STROZA VENERABILIS Basilicæ Principis Apostolorum humilis Canonicus, eidem Sanctiss. D.N. ab epistolis Apostolicis secretis ad Principes.

A occasionem sapienti, & addetur ei scientia. His ego verbis Salomonis admonitus, Reuerentiæ tuæ Pater in Christo, mihi dilectissime atque obseruandissime; exponere non sum veritus, quæ in libello professionis Fidei, à Reuerēdissimo Patre Domino Elia Babylonis Patriarcha, per te ad Sanctissimū Do-

minum Nostrum PAVLVM Papam V. missō, notaui; ac similiter in commentario à te, iussu eiusdem Patriarchæ tui compositō de conciliatione vestrorum dogmatum cum orthodoxa veritate, quam sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia docet. Optimè namque noui diligentiam, & assiduitatem, quam in veri inuestigatione adhibes; ac studium pariter, imò zelum, quo flagras instaurandæ vnitatis, qua Ecclesia vestra ab initio, vt profitemini; cum Apostolica Sede coniuncta erat. Quare facilè mihi persuasi, fore tibi pergratum, si iuxta sapientis sententiam, occasionem tibi proponerem augendæ non mediocriter scientiæ tuæ. Neque sanè audaciæ notam, reprehensionemve verebor; aut ingenij mei imbecillitatem, vel propriam infantiam excusabo; quippe ex mea sententia nihil dicturus sum. Haud enim tantum mihi arrogo, vt audeam de ineffabilibus mysterijs nostræ Fidei à me ipso loqui: sed quæ in medium afferam, cuncta ex sacris Oecumenicis Concilijs, aut ex Sanctorum, probatissimorumq; Patrum monumentis decerpta erunt. Ad hæc, sermo mihi tecum habendus est; cum viro videlicet mei amantissimo, qui quod doctrinæ nostræ deerit, reperire nouerit in charitate, qua coniuncti in Christo arctissimè sumus. Igitur illius auxilio fretus, qui dat intellectum paruulis, ac linguas infantium facit esse disertas, sanctissimoq; eius nomine inuocato; dicere incipiam.

PRO-

PROFESSIO FIDEI PATRIARCHÆ Babylonis recenſetur, & dogmatibus Orientalium adiuncta expenditur. Cap. I.

PLanè; profiteri ſe cum ſancta Romana Eccleſia, credere, Deum vnum eſſe in natura, trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; atque Trinitatem venerari ſine ſubſtantiæ diuiſione, aut perſonarum confuſione: ſimiliter confiteri Deum Verbum Patris æterni Filium ab æterno genitum, in fine temporum propter noſtram ſalutem deſcendiſſe in vterum immaculatæ Virginis, humanamq; ex ea carnem rationali anima præditam virtute Spiritus ſancti aſſumpſiſſe; ac vtriuſque naturæ diuinæ, & humanæ, veritate ſeruata, in vnitate perſonæ; vnum eſſe, eundemque, qui natus eſt, qui ætate, & gratia proficiebat; qui cum ieiunaſſet, eſuriuit, & quinque millium hominum famem exiguo pane ſatiauit; cuius dum membra labore laſſeſcerent, verba ægros ſanarent, cæcis lumen reſtituerent, mortuos ad vitam reuocarent; qui patiebatur humana, & operabatur diuina; qui demum mortuus eſt, & reſurrexit, vt credere, atque confiteri ſe ſcribit venerabilis Dominus Elias Patriarcha Babylonis; Fides quidem hæc, ſi nihil aliud contineret; à veritate quidem non diſſentiret. Sed ex altera parte Beatiſſimam Virginem non matrem Dei, ſed matrem Chriſti, appellare; Redemptori noſtro Domino Ieſu Chriſto cum duabus naturis, duas quo-

quoque personas tribuere; voluntatem & operationem vnicam pro suppositi vnitate, non duplices iuxta naturas in eo agnoscere; & hæc dogmata, aut non contraria veritati modo expositæ; aut cum manifestè damnata sint à Sanctis Patribus; velle apposita declaratione redigere ad rectum sensum; suspectam omnino reddit hanc Fidei professionem. Neque enim sufficit profiteri Fidem cum Orthodoxis, si postmodum ea cum hæreticis exponatur. Hoc autem illud est, quod sancti Patres Nestorio professionem Nicænæ Fidei iactanti, obijciebant his verbis: *Ceterum minime sat esse putamus, si Reuerentia tua Fidei symbolum, quod à magna illa Synodo, quæ in Spiritu sancto in vrbe Nicæa quondam conuenerat; expositum est, nobiscum confiteatur. Nam etsi vocetenus illud profiteri videare, attamen neque rectè intelligis, neque sincere quoque, sed peruersè planè, præposterèq; interpretaris.* Verùm, vt ego arbitror, satis probabile est, errorem hunc modo apud Chaldæos obedientiæ Patriarchæ tui subiectos non in voluntate, sed in intellectu tantum consistere. Persuadet hoc mihi Patriarchæ zelus, & alacritas, qua sanctam Sedem consulere studuit: deinde responsio Episcoporum, quos ipse de hac grauissima difficultate tanta animi sollicitudine, vt scribit; interrogauerat. Neque sanè Episcopi Patriarchę respondissent, diuersitatem, quæ inter nostram, vestramq; Fidem intercedit; consistere tantum in ceremonijs, atque ritibus; ac solum verbis; non autem verborum sensu differre, si sanctorum Conciliorum acta, atque decreta aliquando legissent. Etenim Concilia Oecumenica nunquam congregata fuerunt

runt ab eo tempore, quo primùm illa pessima dogmata damnata sunt; quin sancti Patres post orthodoxam Fidei confessionem; ea denuò damnauerint, & anathema non solùm in illorum nefarios auctores, sed etiam in eorum expositores, ac defensores grauissimè iterauerint. Ideò operepretium facturum existimo, si antequam aggrediamur expendere singillatim vnumquodque vestrorum dogmatum; proposuero ex actis sanctorum Conciliorum, atque ex alijs probatis Scriptoribus; quidquid cognitioni Chaldæorum necessarium esse iudico.

HÆRESIM, QVÀ NEGATVR sanctissima Virgo esse Dei Mater, à Nestorio incœpisse, & quis fuerit Nestorius. Cap. II.

IMpius Nestorius primus ausus est, palàm negare sanctissimam Virginem esse Dei matrem. Quo tempore, quáve occasione hoc egerit, narrat Theodoretus Cyri Episcopus, qui non modò Nestorij contemporaneus fuit; sed aliquando acerrimè illi fauit. Is ad saniorem mentem conuersus in epistola, quam ad Sporadium de Nestorio, eiusq; impietate scripsit; hæc habet: *Vt primum maximam illam Sedem occupauit* (nempe Constantinopolitanam) *ac si tyrannidem quandam Sacerdotij præfecturam rapuisset; non amplius in seipso impietatem, quam antea mente conceperat; continere valuit, sed ex potestate licentiam quandam stultam adeptus, in medium illam profert, & omnibus patefacit, quam antea aduersus Dominum*

con-

conceperat blasphemiam. Sed quia Theodoretus in hac epistola describit nobis ad vnguem Nestorium; adijciamus, quæ ante, & quæ post relata à nobis modo ipsius verba; de Nestorio scribit. Inquit autem.

Ex Germanicia ciuitate ortus homo iste, cuinam exercitio deditus initio fuerit, ignoro. Ex alia verò aliam regionem peragrans instar Aegyptiacæ plagæ, ad magnam Antiochensium peruenit vrbem; in qua liberalibus artibus mediocriter institutus, & imbutus, & pulcherrima, & maxima præditus voce in Ecclesiam Dei cum certa eius pernicie irrepsit; & Sacerdotum numero adscriptus; populi Dei regendi cura suscepta; in ipsomet principio, qualis in tota vita futurus esset; apertè ostendit. Non enim ingenuum illum, & fructuosum dicendi characterem imitatus est, qui hominum animos pascere posset: sed ad popularem auram declinando, & vanum populi applausum, vt quiuis aucupando; instabile, & abiectum vulgus ad sui desiderium concitauit. Sordida quidem indutus veste, mœstus, ac tristis incedens; forenses tumultus deuitans; corporis pallore, & macie abstinentiam simulans; libris domi, vt plurimùm incumbens, & intentus, & quiete sibi viuens; his artibus, & simulationibus plerosque allicie-bat ad sui imitationem, quousque ad grauiorem peruenit ætatem; videri potius quam esse Christianus, & suam magis, quam Christi gloriam quærere studens. Quoniam verò iuxta Domini dictum: Nihil occultum, quod non reueletur, & nihil absconditum, quod non prodeat in lucem: & bona opera manifesta fiunt, & quæ mala sunt occultari minimè possunt; imperscrutabili iudiciorum Dei abysso, Nestorius eorum calculo, qui rerum potiebantur, & Ecclesiam administrabant;

bant; nec non ipsius, qui tunc temporis vniuersi orbis sceptrum tenebat; Catholicæ Orthodoxorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem obtinet, quin etiam parum abest totius orbis. Hinc deinde secutæ sunt tragœdiæ illæ, quarum vniuersa terra, ac mare repletum est. Vt primum enim maximam illam sedem occupauit, ac si tyrannidem quandam sacerdotij præfecturam rapuisset; non amplius impietatem in seipso, quam mente conceperat; continere valuit: sed ex potestate licentiam quandam stultam adeptus, in medium illam profert, & omnibus patefacit, quam antea aduersus Dominum conceperat blasphemiam: & contra Apostolica dogmata suscepit bellum; contra etiam sanctos Patres, qui ab ipsis Euangelij cunabulis Orthodoxæ Fidei duces, & magistri fuerant; eorum sententias nititur conculcare, Regiæ Ciuitatis Ecclesiam perturbando, & vniuersum orbem commouendo; nihil veritus diuinum Paulum clamantem: Qui vos conturbat, iudicium portabit quicumque ille est: sed supra sacri altaris principum Sacerdotum candelabrum, non lucernam veritatis, sed impietatis tenebras collocat; & excogitatur ab illo primum nouitatis facinus, & exordium: Quòd non oporteat videlicet sanctam Virginem Dei Verbi secundum carnem Genitricem, Dei matrem confiteri, sed Christi tantum matrem: licet iam diu, & diutissimè, Orthodoxæ Fidei præcones, iuxta Apostolorum traditionem, Dei genitricem illam ore confiteri, & corde credere nos docuerint Domini matrem. Hactenus Theodoretus. Sed vt, quæ ab eo dicta sunt, melius percipiantur; addamus, quod de electione Nestorij in Constantinopolitanum Antistitem, scribit Socrates lib. vij. cap. xxix. historiæ suæ. *Post mortem Sisinij visum est*

Impe-

Imperatori (nempe Theodosio) *propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia (licet multi Philippum, complures Proclum designatum cuperent) ad Episcopatum illum eligere: sed aduenam Antiochia accersere constituit. Erat nanque illic Nestorius ex Germanicia oriundus, voce in primis sonora, linguaq; diserta, & ob eam causam tanquam ad docendum populum admodum accommodatus; de illorum sententia accersitur.* En quàm appositè declarat Socrates, quod dixerat Theodoretus: Nestorium imperscrutabili iudiciorum Dei abysso, sedem obtinuisse Constantinopolitanam, eorum suffragio, qui rerum potiebantur. Nam nulla alia de causa Imperator Theodosius Nestorium Ecclesiæ Constantinopolitanæ præficiendum curauit; nisi vt peregrina virtute domestica scandala remouerentur; persuasus ex his, quæ de virtute Nestorij ferebantur; fore, vt per eum renouaretur disciplina sancti Ioannis Chrysostomi, qui pariter ex Antiochia euocatus Constantinopolim fuerat. Quod Nestorio exprobrat Ioannes Cassianus libro vij. de Incarnatione his verbis: *Quòd de Antiochena te sibi sumeret Sacerdotem, ex qua illum* (Ioannem Chrysostomum videlicet) *ante prælegerat; accidit, quia recepturam se in te credidit, quicquid in illo habere desisset.* Itaque subdit eodem loco Socrates: *Antiochia Constantinopolim deducitur Nestorius, qui à plerisque ob temperantiam laude, & prædicatione efferebatur.* De qua laude sanctus Cœlestinus Papa sub initio eius epistolæ, qua Nestorium erroris sui admonuit; sic scribit: *Tanta ante opinione vixisti, vt te aliena Ciuitas inuideret.* Et paulò superius, dixerat: *Lætificauit animam nostram venien-*

nientiam enarratio nunciorum, quam mox firmauit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuæ relatio collegarum. Narratum fuisse Cœlestino facilè credere possumus, quod Socrates scribit, prosequens narrationem ordinationis Nestorij, nempe: *Simul ac Episcopus quarto Idus Aprilis ordinatus fuit Felice & Tauro Consulibus; extemplo cum orationem haberet apud Imperatorem; hanc sententiam, quæ multis in ore est; coràm vniuerso populo protulit: Mihi, ò Imperator, terram hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis subueniam.* His pollicitationibus opinioni de ipso iam conceptæ congruentibus; cum decepisset Imperatorem, eiusq; gratiam arctissimè sibi deuinxisset; munitus firmissimo hoc propugnaculo, impietatem suam detegere postea cœpit.

DE VERSVTIA QVA NESTORIVS hæresim suam in Ecclesiam inducere curauit; & de immanitate qua sibi repugnantes Orthodoxos persecutus est. Cap. III.

SED operepretium est, vt rationem, & modum, quem in propalanda scelestissima opinione sua Nestorius tenuit; animaduertamus. Non enim proprio ore homo callidissimus, & nequissimus hoc fecit, ne ipse videretur perturbationem in Ecclesia excitasse: sed vafro, subdoloq; consilio alienâ operam adhibuit; vt Socrates refert

fert his verbis: *Erat cum eo Anastasius presbyter ab Antiochia pariter destinatus, quem nimis honorabat, & veluti consiliarium habebat in causis. Aliquando igitur coràm Ecclesia docens, Anastasius dixit: Dei Genitricem Mariam nullus appellet; Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari nimis est impossibile.* Sed adhuc manifestius declarat hoc Cyrillus Episcopus Alexandrinus in epistola ad Cœlestinum Papam; dum quod contigit præsente ipso Nestorio; narrat. *Accidit* (inquit Cyrillus) *inter cætera, vt Episcopus quidam Dorotheus nomine, Constantinopoli præsto esset, eadem, quæ Nestorius sapiens, ac sentiens; vir quæstus causa adulationi impensè deditus; lingua ad temeritatem vsque, vt scriptum est; promptus. Hic enim Constantinopolitanæ Ecclesiæ synaxi præsente Nestorio; cathedram cum occupasset; magna sublataq; voce inclamare ausus est. Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. Mox ingens vniuersi populi clamor, & discessio consecuta est. Nolebat enim diutius cum eo communionem habere, qui temerè, taliq; sententia præditus esset.* Deinde exponens Cyrillus quomodo in tanta populi perturbatione se gessisset Nestorius; subdit: *Quamuis enim id ore suo facere noluerit; attamen sedens, & audiens alterum, nempe memoratum Dorotheum; vt hoc diceret, induxit, subornauitq;. Cui etiam confestim, vbi è cathedra descendisset; in diuinorum mysteriorum celebratione communicauit.* Hæc Cyrillus ad Cœlestinum. Itaque Nestorius impietate sua iam detecta, non amplius latenter, ac subdolè; sed impudenter repagulis omnibus verecundiæ effractis, ex potestate licentiam, vt inquit Theodoretus; stultam adeptus, blasphemias à se concep-

tas,

ptas, ipsemet audacter prædicare, atque in vulgus serere cœpit. Quod hunc in modum contigisse Euagrius narrat libro 1.cap.ij.historiæ suæ, videlicet: *Quæ verba* (nempe prohibentia vocari Mariam Deiparam) *cum populus Christo consecratus grauiter, & acerbè ferret, & disputationem illam non sine causa haberet pro blasphemia; Nestorius istius blasphemiæ auctor, & dux, non solum prohibuit illum; neque sanam doctrinam tutatus est: verùm etiam verba in primis roborare contendit; & in ijsdem defendendis acrius institit, atque sui ipsius opinione adiuncta, atque adeò adscripta, venenoq; animi sui in Ecclesiam effuso, atque eiecto; multò maiorem blasphemiam dicere conatus est; adeò vt ad ipsius capitis perniciem, hanc impiam sententiam proferre non dubitauerit, nimirum: Ego eum, qui spatijs menstruis, hoc est bimestri, & trimestri, & ita deinceps adoleuerit; Deum certè non appellauero.* hucusque Euagrius. Sed Nestorius his verbis impudentissimis minimè contentus, vim quoque adhibuit Orthodoxis sibi repugnantibus, gratia potissimum atque præsidio Imperatoris nixus. Quàm verò miserè atque crudeliter; exponit Basilius Archimandrita in libello ad Theodosium Imperatorem, vt habemus in actis Concilij Ephesini. Inquit autem Basilius: *Accidit, vt populus visitatam, pridemq; receptam Fidei doctrinam requirens, publicè aliquando inclamauerit. REGVLVM HABEMVS, EPISCOPVM NON HABEMVS. Verum hic populi conatus neutiquam mansit impunitus; pars namque illo temporis articulo comprehensa, & in Regia hac Ciuitate ad Tribunal abstracta, tali immanitate diuerberata, exceptaq; est, qualis ne apud bar-*

baras quidem nationes quandoque vsitatum fuit. Hæc de populo fideli recenset Basilius; at quid postea de ipsis Monachis narret, prosequamur. *Porrò quæ nos ab illo perpessi sumus, ea omnem fidem, omnémq; opinionem longè superant. Etenim quò perfectè edoceremur, vera ne essent, an falsa, quæ de eo acceperamus; in Episcopale palatium illius iussu, hortatúq; conscendimus, aliquoties autem in aliud, & aliud tempus reiecti. Vix tandem prodiens: quæ (inquit) vultis, ea paucis exponite. Postquam verò ex nobis audiuit, quæ docuerat; puta sacram Virginem nihil aliud peperisse, quàm hominem sibi coessentialem; nihil rursus ex carne nasci posse, nisi carnem; ea rectæ Fidei non satis consentanea videri; quamprimum decurionibus, vt nos à turba abreptos cædant; seriò mandat. Cæsi autem inde ad Ecclesiasticum tribunal abducimur; ibidemq; veluti nequam, & scelerati summum supplicium promeriti denudamur; denudati indignis modis vapulamus, iactamur, calcibus impetimur. Quid multis? eiusmodi nos in Ecclesia iniustè ab iniustis perpessi sumus; cuiusmodi ne infimæ quidem sortis homines, in foro ciuili, ne dum Clerici, & Monachi, & Archimandritæ experti sunt aliquando. Cæterum diu, multumq; in Episcopali consistorio diuexati, rursus fame tabescentes, inde ad supplicium ergastulum abripimur; eóq; in loco non modico tempore concluſi asseruamur. Neque illius furiæ his contentæ quieuerunt; verùm per quandam impostoram magnificentissimo celeberrimæ huius Ciuitatis Præfecto tradi nos curauit. Per hunc ergo ferro onusti, ad publicum reorum carcerem abstrahimur. Hinc iterum extracti, catenatiq;, vt ante impediti Prætorio sistimur. Cumq; ibidem nullus planè, qui nos accusaret,*

cusaret, præsto esset; ordine rursum ad Ecclesiasticum Concilium deducimur; hucq; redacti denuò ab illo in faciem cædimur. Hæc de immanitate Nestorij Basilius, ita vt iure de eo dixerit Theodoretus, vt superius recensuimus; illum cathedram Episcopalem occupasse, ac si tyrannidem quandam rapuisset. Et hæc quidem agebat Constantinopoli Nestorius, ac pariter reliquum Christianum orbem veneno suo inficere conabatur, scriptis, euulgatisq; quamplurimis de scelerato hoc suo dogmate homilijs. Quod illi obijcit Alexandrina Synodus epistola, qua illum erroris sui admonuit; videlicet: *Quòd si dum hæc sentis, & doces, te ipsum tantummodo læderes; fortassis minor nos sollicitudo teneret: at quia totam Ecclesiam grauiter offendisti, ac non ijs modo, qui Constantinopoli versantur; nouæ, insolitæq; hæreseos fermentum, sed omnibus vbiuis locorum degentibus obiecisti (circumferuntur enim passim tuarum exegeseon libelli) quæ oratio silentio nostro defendendo idonea reperietur?* Sed & Ioannes Episcopus Antiochenus, qui adeò beneuolus, ac fautor Nestorio fuit, vt eius gratia ab vniuersali Concilio dissentire aliquando non dubitauerit; quamuis postmodum errorem suum, sicuti Theodoretus, emendauerit; in epistola, qua cohortatur Nestorium, vt cum Ecclesiæ Catholicæ sanctis Patribus vocare velit sanctam Virginem Dei Matrem; mentionem quoque facit harum grauissimarum perturbationum. Inquit enim: *Eas namque mihi crede; Deo dilecte, cum apud finitimos, tum apud longè quoque positos turbas concitasti, quæ ingentem ex insperato Ecclesiis tempestatem peperere. Constat enim fideles cir-*

cumquaque degentes huius quæstionis, & controuersiæ causa inter se conflictari, quotidieq; à se inuicem diuelli. Verum quid clarius suo ipsius testimonio? ipse namque ad Cœlestinum Papam scribens, & quid egerit Constantinopoli, & quàm latè diffusa sit eius concertatio, ostendit: quippe famam Romam vsque peruenisse se scribit; ait enim: *Quanta certamina sustinuimus, existimo famam præcedentem docuisse Beatitudinem tuam.* Sed quoniam ex hac epistola non modo Nestorij contentio, eiusq; pessimæ opinionis declaratio manifestè habetur: sed etiam agnoscere apertè possumus calliditatem, atque versutiam, qua vti consueuerat; illam hic totam describamus, vt in actis sanctæ Ephesinæ Synodi habetur. Prætentaturus enim Nestorius Cœlestini animum, simulauit se de alio negocio ad eum scribere, quo tamquam insinuatione vsus; quasi per occasionem, & non ex professo suam illi pessimam sententiam exponeret. Scribit autem sic.

EPI-

EPISTOLA NESTORII AD Cœlestinum Papam Vrbis Romæ, ex codice manuscripto veteris editionis latinæ Ephesini Concilij. Cap. IIII.

FRATERNAS *nobis inuicem debemus collocutiones, vnanimiter nobiscum obtinente concordia, impugnaturi diabolum pacis inimicum. Quorsum hoc antiloquium? Iulianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius dicentes se Occidentalium partium Episcopos, sæpè, & piissimum, & prædicatissimum Imperatorem adierunt, ac suas causas detulerunt, tanquam Orthodoxi temporibus Orthodoxis persecutionem passi; sæpè eadem apud nos lamentantes, ac sæpe reiecti, eadem facere non desierunt: sed insistunt per dies singulos implentes aures omnium vocibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus oportuit, vsi sumus; cum negocij eorum, veram Fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de causis eorum notitia opus est, ne piissimus, & Christianissimus Imperator noster molestiam sæpe ab his sustineat; ne nos ignorantes eorum causas, circa negocij defensionem diuidamur; dignare nobis notitiam de his largiri, ne vel quidam ignorando iustitiam veritatis, importuna commiseratione conturbentur; vel canonicam indignationem Beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis fortè probata est; aliud quiddam, quàm hoc existiment. Nam sectarum nouitas nullam meretur defensionem à veris pastoribus. Vnde nos non modicam corruptionem Orthodoxiæ apud quosdam hic reperientes,*

& ira, & lenitate circa ægros quotidie vtimur. Est enim ægritudo non parua, sed affinis putredini Apollinaris, & Arij. Dominicam enim in homine vnionem ad cuiusdam contemperationis confusionem passim commiscent; adeò vt quidam apud nos Clerici, quorum alij ex imperitia, alij ex hæretica fraude in se olim celata (quia plurima, & Apostolorum temporibus contigerunt) tanquam hæretici ægrotent, & apertè blasphement Deum Verbum Patri homousion, tanquam originis initium de Christotoco Virgine sumpsisse, & cum templo suo ædificatus esset, & carni consepultus; eandem dicunt post resurrectionem commiscuisse carnem, sed in naturam transisse Deitatis; (vt in compendio dicam) & Deitatem vnigeniti ad originem coniunctæ carnis referunt, & commortificant carni. Carnem verò coniunctam Deitati ad Deitatem transisse blasphemant in ipso Verbo Deificationis, quod nihil est aliud, nisi vtrumque corrumpere. Sed & Virginem Christotocon ausi sunt cum modo quodam Theotocon dicere. Hanc enim Theotocon vocantes non perhorrescunt, quòd Sancti illi, & supra omnem prædicationem per Nicæam nihil amplius de sancta Virgine dixisse leguntur, nisi quia Dominus Noster Iesus Christus incarnatus est ex Spiritu sancto, & Maria Virgine. Et taceo scripturas, quæ vbique Virginem Mariam matrem Christi, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apostolos prædicarunt. Propter quæ quanta certamina sustinuimus, existimo famam præcedentem docuisse Beatitudinem tuã, hoc quoque attendentem, quòd non frustra certauerimus, sed emendati sunt gratia Domini multi ex his, qui peruersi erant discedentes à nobis. Siquis autem hoc nomen Theotocon propter natam humanitatem coniunctam Deo Verbo, non propter parentem

rentem proponet; dicimus quidem hoc vocabulum in ea, quæ peperit non esse conueniens. Oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua est ex se natum. Ferri tamen potest hoc vocabulum propter ipsam considerationem, & quod solum nominetur de Virgine hoc verbum, propter inseparabile templum Dei ex ipsa; non quia ipsa mater sit Dei Verbi: nemo enim antiquiorem se parit. Hæc quidem existimo præcedentem famam significasse; exponimus etiam nos quæ contigerunt. Rebus ostendimus, quia fraterno animo negotium eorum, quos prædiximus nosse cupimus, non desiderio curiositatis importunæ; cum, & nostra narramus tanquam fratres fratribus; veritatem sectarum nobis inuicem publicantes, vt sit mihi principium literarum verissimum. Dixi enim cum has literas inciperem, quia fraternas nobis debemus inuicem collocutiones. Omnem, quæ tecum est in Christo fraternitatem, ego, & qui mecum sunt, salutamus.

Quam astutè, quàm callidè scripta est hæc epistola? A commendatione concordiæ exorditur, vt ipsa vigente impugnetur diabolus pacis inimicus. Negocij Episcoporũ cognitionem exquirit, vt fidelium quieti, & existimationi Cœlestini prospiciat. *Dignare* (inquit) *nobis notitiam de his largiri, ne vel quidam ignorando iustitiam veritatis; importuna commiseratione conturbetur: vel canonicam indignationem Beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis satis probata est; aliud quiddam, quam hoc æstimet.* At quanto zelo postulat hæc Nestorius? *Nam sectarum nouitas* (dicit ille) *nullam meretur defensionem à veris pastoribus.* Præclarè sanè; sed quorsum? declarat ipse subdens: *Vnde & nos non modicam corruptionem Orthodoxiæ apud quos-*

dam hic reperientes, & ira, & lenitate circa ægros quotidie vtimur.

Pacis cupidus; de existimatione Cælestini sollicitus; sectarum nouitatis aduersarius, quid tandem sibi volebat intelleximus; nempe vt simulata pietate, impietatem suam Cœlestino insinuaret. Meritò igitur de ipso Theodoretus dixerat; non esse imitatum ingenuum dicendi characterem; qui simulatè, ac fictè ageret, impudenterq; mentiretur. Et quidem quot quantaq; mendacia sunt in hac epistola? nempe Orthodoxos in vnitate personæ naturarum confusionem ponere cum Apollinari; Deitatem vnigeniti ad originem assumptæ carnis referre, tanquam originis initium de ipsa Virgine sumpserit; & profiteri carnem post resurrectionem in naturam transisse Diuinitatis. De quibus etiam altera epistola ad eundem Cœlestinum, quæ itidem inter acta Concilij redacta est; eos accusat paulò differentibus verbis, videlicet: *Multus enim etiam nobis labor hic celebratur, dum elaboramus eruere sordidissimam impietatem pessimæ opinionis Apollinaris, & Arij de Ecclesia Dei. Nescio enim quemadmodum quidam de Ecclesiasticis quandam contemperationis imaginem Deitate, & humanitate Vnigeniti accipientes, ægrotant ægritudine prædictorum hæreticorum, dum & corporis passiones audent superfundere Deitati Vnigeniti, & immutabilitatem Deitatis ad naturam corporis transisse confingunt; & vtramque naturam, quæ per coniunctionem summam, & inconfusam in vna persona vnigeniti adoratur; contemperationis mutabilitate confundunt. Cæci, qui nec sanctorum illorum Patrum expositionem meminerunt; apertè ad eos reclamantes:*

Cre-

Credimus in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei incarnatum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine. Hæc enim vox in nomine, quod significat vtramque naturam, id est Christus; & Deitati Patris homousios, humanitas verò posterioribus temporibus nata est ex sancta Virgine, quæ propter coniunctionem Deitatis ab Angelis, & hominibus simul colitur: & cetera quæ sequuntur.

PATRES BLASPHEMIA Nestorij audita, illum amanter admonent, vt suum errorem corrigat. Cap. V.

IAM verò ex ore ipsius Nestorij nefandam, execrabilemq; eius blasphemiam habemus in Dei Matrem Virginem sanctissimam, & in mysterium ineffabile diuinæ dispensationis pro generis humani salute. Vt autem inauditum hoc antea scelus propalatum fuit; statim commouetur grauissimè Catholica Ecclesia. Exurgunt incensi zelo domus Dei Orthodoxi Patres, & primo Nestorium admonent erroris sui. Idq; præcipuè facit sanctus Cyrillus Alexandriæ Episcopus, cuius verba hæc sunt: *Ego verò ad id denuò reuersus, quod me potissimum decere existimo; te veluti fratrem in Domino etiamnum admonere non grauabor, vt doctrinæ sermonem; Fideiq; sententiam cum omni cautione populo proponas, cogitesq; serio; si vehementer illi Deum irritant, qui è pusillorum numero vel vnum tantum in Christum credentem scandalizauerint; quanta dili-*

diligentia, quantaq; dexteritate opus sit, si tota quapiam multitudo grauius offensa sit, vt scandalis prudenter præcisis, sanum Fidei sensum, sermonemq; veritatis studiosis asseramus.

Non modo fama impietatis Nestorij, vt arbitrari se scripserat ad Cœlestinum, Romam peruenerat; sed nefandæ eius quoque homiliæ. Propterea Cœlestinus Cyrillo mandauit, diligenter inquireret, essent ne Nestorij, aut cuiusquam alterius. Non enim acceperat adhuc Cœlestinus descriptas superius epistolas. Et quia Cyrillus dum Cœlestini mandata curabat, simul ab huius pestilentis hæreseos contagione fideles præseruare studebat; eaq; de causa Monachos prouinciæ suæ literis summa pietate, ac doctrina scriptis monuerat; Nestorius epistolam hanc Cyrilli ad Monachos cum vidisset; vehementer indignatus est. Scripsit itaque ad eum Cyrillus, & quid accepisset in mandatis à Cœlestino illi significauit, pariterq; illum admonuit, vt sententiam suam in melius mutaret: sed cum parum profecisset, iterum eum commonet verbis amantissimis, à nobis modo relatis. Sed fortasse importunum non erit, vt ex priori quoque Cyrilli epistola nonnulla describamus; augebunt quidem non mediocriter huius tractationis notitiam.

Cyrilli Episcopi Alexandriæ ad Nestorium, cum resciuit eum male sentire. Ex prima parte sanctæ Ephesinæ Synodi, capite sexto.

RELIGIOSISSIMO, *Deiq; amantissimo Episcopo, & comministro Nestorio, Cyrillus Episcopus in Domino*

mino salutem. Aduenerunt Alexandriam viri aliquot veneratione, ac fide digni, qui pietatem tuam grauiter stomachari, nullumq; mei lædendi causa; lapidem non mouere mihi renunciarunt. Cupienti autem mihi cognoscere vnde nam pietas tua in hanc ægritudinem incidisset; Alexandrinos quosdam epistolam illam, quam ad sanctos Monachos miseram circumferre, eamq; rem odij, & offensionis causam esse; respondederunt. Ego verò miratus sum maiorem in modum pietatem tuam illud potius non perpendisse, secumq; reputasse, eas in fide turbas, non propter hanc quam scripsi epistolam; sed potius ex quibusdam pietatis tuæ, siue alterius sermonibus excitatas fuisse: quinimo cum carthæ quædam, vel commentarij circumferrentur, insignem molestiam pertulimus, quorundam hac de causa peruersorum emendationi studentes. Eò namque malum hoc paulatim serpendo peruenit, vt Christum nonnulli Deum appellari ægrè patiantur: sed potius Diuinitatis organum, & instrumentum, hominemq; Deiferum, & alia his ineptiora. Noster proinde hic animi dolor ex ijs natus est, quæ pietas tua dixit, aut etiam non dixit; si quidem schedis, quæ ea de re feruntur, parum fidei habeo. Cum igitur Fides tàm insigniter lederetur, totq; passim peruerterentur; quì tandem tacere hic licuit? An non ante tribunal Christi sistemur? An intempestiui silentij rationem reddituri non sumus, præsertim nos, qui ea de re hunc in locum ab eo euecti sumus, vt quæ oportet prædicemus? Ecquid nunc, obsecro, consilij capiam? tuam hic namque pietatem appellare compellor: quandoquidem Cœlestino religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo iubente, cæterisq; pijssimis Episcopis, qui ipsi adfuere, ita postulantibus inuestigare cogor, chartulæ ne illæ & exegeses, quæ illuc nescio

quo-

quomodo perlatæ sunt, à tua pietate, an verò ab alio quopiam profectæ sint? Scribunt enim, vt qui grauissimè videntur offensi. Quomodo verò eos, qui ab omnibus totius Orientis Ecclesiis subinde huc ventitant, & contra hæc schædia grauissimè murmurant; quandoque sedabimus? Omnes enixè sudamus, vt eos omnes, qui nescio quo pacto, vt secus quàm oportebat saperent, persuasi sunt; ad rectum veritatis tramitem reducamus; impendio laboramus. Cum autem pietas tua hanc murmurandi necessitatem attulerit, quo quæso iure me incusat? cur odio me prosequitur? cur contra me, ac temere exclamat? cur potius emendata oratione sua Orbis offensionem non sanat? Nam etsi præterfluxit sermo, vtpote in populo excurrens; tamen seria retractatione emendetur. Ne graueris, obsecro, iis qui non leuiter offensi sunt, vnam hanc Theotocos vocem largiri, sacramq; Virginem Deiparam appellare; quo illis, qui non leuem hinc mœstitiam cæperunt; medentes in populorum pace, animorumq; consensione Ecclesiasticos conuentus celebremus.

Neque tantummodo Cyrillus hoc egit, sed & Ioannes Episcopus Antiochenus Nestorij studiosissimus; quamquam id ab eo factum fuerit, postquam error Nestorij Romæ à Cœlestino fuit in Synodali Episcoporum conuentu recognitus. Subijciamus itaque ex superius à nobis citata Ioannis Antiocheni epistola ad Nestorium nonnulla ex multis, quibus eius duritiam flectere conatus est. Inquit autem: *Equidem non ad probrosam aliquam orationis correctionem, atque ad puerilem palinodiam, vt sic loquar, pietatem tuam inuito; sed quia multi, vt intelligo, non infrequenter ex te audierunt, quòd ipsam solam vocem non*

piam

piam quoque ipsius vocis notionem auersaris: si qui verò celebrioris famæ Ecclesiastici auctores tibi fuerint, vt ipso quoque nomine admisso sacram Virginem Mariam Deiparam appelles; te istud neutiquam recusaturum esse. Hanc ob rem te iterum, atque iterum moneo, hortorque, vt libera id voce depromas, quod citra errorem sapere certò dignosceris. Age inquam, rei quam rectè tenes, nomen quod à multis Patribus vsurpatum, scriptum, ac pronunciatum est, adiungere ne graueris; neque vocabulum, quod piam, rectamq; notionem in animo gignit; refutare pergas. Etenim nomen hoc Theotocos, nullus vnquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiauit: qui autem illo subinde vsi sunt, & multi reperiuntur, & apprimè celebres. Quòd si qui sunt, qui illud non vsurparunt, illi nunquam erroris alicuius eos insimularunt, qui illo fortè vsi fuissent. Sanè dum superuacanea quadam ad vanas hæreticorum opiniones solum spectante curiositate incitati, nomen cuius sententiam rectè tenemus; pertinaciter respuimus, aliud nihil, vt videmus, facimus, quàm quòd fratrum nostrorum conscientias temerè, & absque vlla vtilitate grauiter offendimus, planeq; contemnimus. Etenim si id, quod nominis significatione offertur non recipimus, restat vt in grauissimum errorem prolabamur: immo verò, vt circa inexplicabilem illam vnigeniti Filij Dei œconomiam periculosissimè versemur; quandoquidem nomine hoc sublato, vel huius potius nominis notione repudiata; sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit; tùm Dei Verbum neque se exinaniuisse, neque in serui formam sese demissum, ineffabilem quandam benignitatis mansuetudinem

dinem humano generi exhibuisse. Hanc enim Dei erga nos clementiam diuinæ scripturæ hinc præcipuè confirmant, quòd vnicum illum, sempiternumq; Dei Filium ante omnia secula natum, impatibili modo ex sacra quoque Virgine ortum ostendunt. Huc namque diuinus tendit Apostolus, dum ita ait: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Clarè hic ostendit non alium, sed ipsummet Dei vnigenitum admirabili ortu ex Virgine in lucem prodijsse, vt paulò ante dixi. Quòd si Virgo à sanctis Patribus propter hanc generationem Deipara nominatur, vt verè hoc nomine ab illis nominatur; nescio quorsum attinuerit, vt quæstionem hanc nequaquam necessariam (bona venia tua dictum sit) & contra illos ipsos, & contra Ecclesiasticam pacem agitandam susceperimus. Et hæc quidem Ioannes Antiochiæ Episcopus ad Nestorium, quem tantoperè diligebat: ita vt satis manifestè appareat, vt diximus Nestorium, & ante, & posteaquam eius blasphemiæ delatæ fuerunt ad sanctam Apostolicam Sedem, fraternè admonitum, vtq; resipisceret cohortatum, atque requisitum fuisse.

RE-

REFRAGANTE NESTORIO sanctorum Patrum admonitionibus, eiusque impietate ad sanctam Apostolicam Sedem delata; ipsius correctio Cœlestini Papæ decreto demandatur Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Præsuli. Cap. VI.

SED cum nihil Patres blandè, suauiterq; agendo profeciſſent; rem ad sanctum Cœlestinum Papam zelo tuendæ Catholicæ veritatis coacti deferunt. Cœlestinus, qui iam ex ipsius etiam Nestorij literis idipsum deprehenderat; sceleris nouitate, atque Orthodoxæ Fidei discrimine grauissimo commotus, Concilium conuocat. Expenduntur diligentissimè Nestorij blasphemiæ, & tamquam execrabiles vnanimi Episcoporum sententia damnantur; & Nestorio spatium decem dierum præfinitur ad resipiscendum. In quo non præpropere festinatum est, quamuis negocij grauitas proculdubio id exegisset: cum, vt Cœlestinus in epistola sua ad Nestorium dicit: *Aegritudinis tuæ qualitas non recipit, aut præstari permittit inducias,* (& vt superius dixerat) *omnium disputationum vias, breuis tuarum literarum sermo concludit.* Sed seruata fuit sacrorum Canonum ratio, vt habetur in eadem epistola his verbis: *Itaque quamuis frater Cyrillus secundis te epistolis suis asserat esse conuentum; intelligas volo post primam, & secundam illius, & hanc correptionem nostram,*

stram, quam constat esse iam tertiam; ab Vniuersitate Collegij, & Conuentu Christianorum te prorsus esse seiunctum; nisi mox quæ male dicta sunt corrigantur; nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse præstatur. De quo temporis spacio Ioannes Episcopus Antiochenus in eadem epistola, cuius supra mentionem fecimus, hæc habet: *Enimuerò licet Dominus meus Cœlestinus Deo deuotissimus Episcopus, decem tantum dierum interuallum terminum vsque responsioni præfinitum valdè angustum literis suis interposuerit; tamen res eiusmodi est, vt non dico decem diebus, sed vno; immo verò paucis horis tota confici posse, videatur. Nam quid facilius est, quàm nomine commodo, multisq; sanctis Patribus vsitato, & vero nihilominus, salutarique ex Virgine ortui percongruo, in Christi omnium nostrũ Regis dispensatione vti. Cum ergo neque periculosum hoc sit, æquum non est, vt Sanctitas tua illud refutet.* Decreti huius Apostolici executio demandatur Cyrillo Alexandriæ Episcopo, cui quoque vicem suam Cœlestinus tradidit, vt ex verbis in fine epistolæ apparet; quam hac de causa ad eum dedit Possidonio Alexandrinæ Ecclesiæ diacono deferendam. Hæc autem sunt verba: *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraq; vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi, non absque exquisita seueritate, sententiam exequeris; nempè, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet; eamq; de Christi Dei nostri generatione Fidem in posterum confessurum se spondeat, quam Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat; illicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.* Vt autem

tem Cyrillus mandata sibi ab Apostolica Sede prudenter, ac sedulò curaret, omnemq; vitaret suspicionem priuatæ æmulationis, aut odij in Nestorium; Synodum Alexandriæ congregat; & grauissimam illam epistolam, cui adiuncti sunt duodecim anathematismi, ad Nestorium scribit: quam Patres in sancta Oecumenica Ephesina Synodo approbauerunt; & aduersus quam Nestorij fautores postea tanta animi acerbitate insurrexerunt: cuius exemplum ex actis eiusdem sanctæ Ephesinæ Synodi hìc describendum modò duximus. Sed vt faciliùs epistolæ sententia percipiatur, vtq; Chaldæi Fidei doctrinam, quam profitentur, melius agnoscant; errores, vel potius blasphemias Nestorij proponemus, vt postea in sancta Ephesina Synodo recitatæ fuerunt, Patribus iubentibus, actione prima.

CATALOGVS BLASPHEMIARVM Nestorij, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt. Ex secunda parte sanctæ vniuersalis Synodi Ephesinæ, actione prima. Et epistola Synodi Alexandrinæ ad Nestorium. Cap. VII.

PETRVS *presbyter Alexandriæ, & Notariorum Primicerius dixit: Habemus etiam præ manibus Reuerendissimi Nestorij blasphemiarum commentarios; è quorum vno capita selegimus: quæ, si sanctæ huic Synodo placet, prælegemus.*

Flauianus Philippensium Episcopus dixit: Legantur, &

in acta referantur. Similiter ceteri Episcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.

Ex libro Nestorij, quaternione xvij. in dogmate. Lecta autem hæc sunt hunc in modum: *Cum igitur diuina Scriptura de Christi ortu ex Maria Virgine, aut de eiusdem morte aliquid dictura est, nusquam Dei, sed semper Christi, aut Filij, aut Domini nomen ponere deprehenditur: quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modò quidem hanc, modò verò illam, nonnunquam autem vtramque simul insinuant. Exempli causa: Cum Scriptura generationem Christi ex Virgine nobis exponit, non dicit: Misit Deus Verbum Deum; sed ait: Misit Deus Filium suum. Illud enim nomen accipit, quod vtriusque naturæ significatiuum est. Quia enim Filius simul Deus, & homo est; ideò dicit: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Vt cum audieris illud: Factum ex muliere; deinde videris nomen, quod vtramque naturam denotat, & præmittitur, natiuitatem, quæ ex sancta Virgine est, Filij quidem voces: (siquidem & Christipara Virgo Filium Dei genuit) attamen quia Filius Dei duplicis naturæ existit, non Dei Filium, sed humanitatem genuisse cogites; quæ propter Filium adiunctum, Filius quoque dicitur.*

Ex eodem, quaternione xxj. *Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Christiparæ Virgini vocem. agnosco enim illam venerandam esse, quæ Deum susceperit, per quam vniuersorum Dominus processit, per quam Sol iustitiæ emicuit. At rursus plausum suspectum habeo: quomodo intellexistis illud, Processit? Non idem ego interpretor illud, Processit, & Genitus est. neque enim tam citò nostri obliuiscimur: siquidem Deum ex Christipara Virgine processisse, id per diuinam Scripturam edoctus*

sum:

sum: quod autem Deus ex ipsa natus sit, id nusquam scriptum comperi,

Et post alia: *Diuina proinde Scriptura, Deum ex Christi para Virgine genitum esse nusquam affirmat; sed Iesum Christum, sed Filium, sed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miser esse non potest, qui, quæ diuina Scriptura prodit, non statim recipit. Angelorum vox est: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum est, Archangelos nativitatis mysterium te longè exactius cognouisse. Neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem eius; sed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiusdem, ex quaternione xxiiij. *Quod ergo dicebamus, eiusmodi est: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum, vel factum est, (nihil enim obest sensui, vtrum dixeris) de Spiritu sancto est: neque etiam obest, si dixerimus, quòd Deus Verbum natus sit in carne. Aliud enim est, simul esse cum nato; & aliud, nasci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: hoc est, Spiritus sanctus, quod in ea est condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum Scripturarum peritissimi, si pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; necessario consecuturum, Deum Verbum, vel filium esse Spiritus sancti, vel duos habere patres: si verò factum assereremus, hinc rursum inferri, Deum Verbum Spiritus sancti creaturam esse. Quare generationis vocem fugientes posuerunt: Qui descendit propter nos homines, & propter nostram salutem, & incarnatus est. At quid est, inquis, hoc: Et incarnatus est? Non conuersus ex diuinitate in carnẽ. Quod autem dixerunt: Et incarnatus est de Spiritu sancto; in hoc Euangelistam secuti sunt. Euangelista enim inhumanationis*

in acta referantur. Similiter ceteri Episcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.

Ex libro Nestorij, quaternione xvij. in dogmate. Lecta autem hæc sunt hunc in modum: *Cum igitur diuina Scriptura de Christi ortu ex Maria Virgine, aut de eiusdem morte aliquid dictura est, nusquam Dei, sed semper Christi, aut Filij, aut Domini nomen ponere deprehenditur: quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modò quidem hanc, modò verò illam, nonnunquam autem vtramque simul insinuant. Exempli causa: Cum Scriptura generationem Christi ex Virgine nobis exponit, non dicit: Misit Deus Verbum Deum; sed ait: Misit Deus Filium suum. Illud enim nomen accipit, quod vtriusque naturæ significatiuum est. Quia enim Filius simul Deus, & homo est; ideò dicit: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Vt cum audieris illud: Factum ex muliere; deinde videris nomen, quod vtramque naturam denotat, & præmittitur, natiuitatem, quæ ex sancta Virgine est, Filij quidem voces: (siquidem & Christipara Virgo Filium Dei genuit) attamen quia Filius Dei duplicis naturæ existit, non Dei Filium, sed humanitatem genuisse cogites; quæ propter Filium adiunctum, Filius quoque dicitur.*

Ex eodem, quaternione xxj. *Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Christiparæ Virgini vocem. agnosco enim illam venerandam esse, quæ Deum susceperit, per quam vniuersorum Dominus processit, per quam Sol iustitiæ emicuit. At rursus plausum suspectum habeo: quomodo intellexisti illud, Processit? Non idem ego interpretor illud, Processit, & Genitus est. neque enim tam citò nostri obliuiscimur: siquidem Deum ex Christipara Virgine processisse, id per diuinam Scripturam edoctus*

sum:

sum: quod autem Deus ex ipsa natus sit, id nusquam scriptum comperi,

Et post alia: *Diuina proinde Scriptura, Deum ex Christi para Virgine genitum esse nusquam affirmat; sed Iesum Christum, sed Filium, sed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miser esse non potest, qui, quæ diuina Scriptura prodit, non statim recipit. Angelorum vox est: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum est, Archangelos natiuitatis mysterium te longè exactius cognouisse. Neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem eius; sed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiusdem, ex quaternione xxiiij. *Quod ergo dicebamus, eiusmodi est: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum, vel factum est, (nihil enim obest sensui, vtrum dixeris) de Spiritu sancto est: neque etiam obest, si dixerimus, quòd Deus Verbum natus sit in carne. Aliud enim est, simul esse cum nato; & aliud, nasci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: hoc est, Spiritus sanctus, quod in ea est condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum Scripturarum peritissimi, si pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; necessario consecuturum, Deum Verbum, vel filium esse Spiritus sancti, vel duos habere patres: si verò factum assereremus, hinc rursum inferri, Deum Verbum Spiritus sancti creaturam esse. Quare generationis vocem fugientes posuerunt: Qui descendit propter nos homines, & propter nostram salutem, & incarnatus est. At quid est, inquis, hoc: Et incarnatus est? Non conuersus ex diuinitate in carnẽ. Quod autem dixerunt: Et incarnatus est de Spiritu sancto; in hoc Euangelistam secuti sunt. Euangelista enim inhumanationis*

in acta referantur. Similiter ceteri Episcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.

Ex libro Nestorij, quaternione xvij. in dogmate. Lecta autem hæc sunt hunc in modum: *Cum igitur diuina Scriptura de Christi ortu ex Maria Virgine, aut de eiusdem morte aliquid dictura est, nusquam Dei, sed semper Christi, aut Filij, aut Domini nomen ponere deprehenditur: quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modò quidem hanc, modò verò illam, nonnunquam autem vtramque simul insinuant. Exempli causa: Cum Scriptura generationem Christi ex Virgine nobis exponit, non dicit: Misit Deus Verbum Deum; sed ait: Misit Deus Filium suum. Illud enim nomen accipit, quod vtriusque naturæ significatiuum est. Quia enim Filius simul Deus, & homo est; ideò dicit: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Vt cum audieris illud: Factum ex muliere; deinde videris nomen, quod vtramque naturam denotat, & præmittitur, natiuitatem, quæ ex sancta Virgine est, Filij quidem voces: (siquidem & Christipara Virgo Filium Dei genuit) attamen quia Filius Dei duplicis naturæ existit, non Dei Filium, sed humanitatem genuisse cogites; quæ propter Filium adiunctum, Filius quoque dicitur.*

Ex eodem, quaternione xxj. *Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Christiparæ Virgini vocem. agnosco enim illam venerandam esse, quæ Deum susceperit, per quam vniuersorum Dominus processerit, per quam Sol iustitiæ emicuit. At rursus plausum suspectum habeo: quomodo intellexisti illud, Processit? Non idem ego interpretor illud, Processit, & Genitus est. neque enim tam citò nostri obliuiscimur: siquidem Deum ex Christipara Virgine processisse, id per diuinam Scripturam edoctus*

sum:

sum: quod autem Deus ex ipsa natus sit, id nusquam scriptum comperi,

Et post alia: *Diuina proinde Scriptura, Deum ex Christi para Virgine genitum esse nusquam affirmat; sed Iesum Christum, sed Filium, sed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miser esse non potest, qui, quæ diuina Scriptura prodit, non statim recipit. Angelorum vox est: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum est, Archangelos natiuitatis mysterium te longè exactius cognouisse. Neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem eius; sed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiusdem, ex quaternione xxiiij. *Quod ergo dicebamus, eiusmodi est: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum, vel factum est, (nihil enim obest sensui, vtrum dixeris) de Spiritu sancto est: neque etiam obest, si dixerimus, quòd Deus Verbum natus sit in carne. Aliud enim est, simul esse cum nato; & aliud, nasci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: hoc est, Spiritus sanctus, quod in ea est condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum Scripturarum peritissimi, si pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; necessario consecuturum, Deum Verbum, vel filium esse Spiritus sancti, vel duos habere patres: si verò factum assereremus, hinc rursum inferri, Deum Verbum Spiritus sancti creaturam esse. Quare generationis vocem fugientes posuerunt: Qui descendit propter nos homines, & propter nostram salutem, & incarnatus est. At quid est, inquis, hoc: Et incarnatus est? Non conuersus ex diuinitate in carnẽ. Quod autem dixerunt: Et incarnatus est de Spiritu sancto; in hoc Euangelistam secuti sunt. Euangelista enim inhumanationis*

in acta referantur. Similiter ceteri Episcopi dixerunt: Omnes eadem dicimus.

Ex libro Nestorij, quaternione xvij. in dogmate. Lecta autem hæc sunt hunc in modum: *Cum igitur diuina Scriptura de Christi ortu ex Maria Virgine, aut de eiusdem morte aliquid dictura est, nusquam Dei, sed semper Christi, aut Filij, aut Domini nomen ponere deprehenditur: quandoquidem tria hæc duarum naturarum notionem complectuntur: & modò quidem hanc, modò verò illam, nonnunquam autem vtramque simul insinuant. Exempli causa: Cum Scriptura generationem Christi ex Virgine nobis exponit, non dicit: Misit Deus Verbum Deum; sed ait: Misit Deus Filium suum. Illud enim nomen accipit, quod vtriusque naturæ significatiuum est. Quia enim Filius simul Deus, & homo est; ideò dicit: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Vt cum audieris illud: Factum ex muliere; deinde videris nomen, quod vtramque naturam denotat, & præmittitur, natiuitatem, quæ ex sancta Virgine est, Filij quidem voces: (siquidem & Christipara Virgo Filium Dei genuit) attamen quia Filius Dei duplicis naturæ existit, non Dei Filium, sed humanitatem genuisse cogites; quæ propter Filium adiunctum, Filius quoque dicitur.*

Ex eodem, quaternione xxj. *Quid contingat, aduerte hæretice. Non inuideo Christiparæ Virgini vocem. agnosco enim illam venerandam esse, quæ Deum susceperit, per quam vniuersorum Dominus processit, per quam Sol iustitiæ emicuit. At rursus plausum suspectum habeo: quomodo intellexistis illud, Processit? Non idem ego interpretor illud, Processit, & Genitus est. neque enim tam citò nostri obliuiscimur: siquidem Deum ex Christipara Virgine processisse, id per diuinam Scripturam edoctus*

sum:

ſum: quod autem Deus ex ipſa natus ſit, id nuſquam ſcriptum comperi,

Et poſt alia: *Diuina proinde Scriptura, Deum ex Chriſtipara Virgine genitum eſſe nuſquam affirmat; ſed Ieſum Chriſtum, ſed Filium, ſed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miſer eſſe non poteſt, qui, quæ diuina Scriptura prodit, non ſtatim recipit. Angelorum vox eſt: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum eſt, Archangelos natiuitatis myſterium te longè exactius cognouiſſe. Neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem eius: ſed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiuſdem, ex quaternione xxiiij. *Quod ergo dicebamus, eiuſmodi eſt: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum, vel factum eſt, (nihil enim obeſt ſenſui, vtrum dixeris) de Spiritu ſancto eſt: neque etiam obeſt, ſi dixerimus, quòd Deus Verbum natus ſit in carne. Aliud enim eſt, ſimul eſſe cum nato; & aliud, naſci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: hoc eſt, Spiritus ſanctus, quod in ea eſt condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum Scripturarum peritiſſimi, ſi pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; neceſſario conſecuturum, Deum Verbum, vel filium eſſe Spiritus ſancti, vel duos habere patres: ſi verò factum aſſereremus, hinc rurſum inferri, Deum Verbum Spiritus ſancti creaturam eſſe. Quare generationis vocem fugientes poſuerunt: Qui deſcendit propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, & incarnatus eſt. At quid eſt, inquis, hoc: Et incarnatus eſt? Non conuerſus ex diuinitate in carnē. Quod autem dixerunt: Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto; in hoc Euangeliſtam ſecuti ſunt. Euangeliſta enim inhumanationis*

stram, quam constat esse iam tertiam; ab Vniuersitate Collegij, & Conuentu Christianorum te prorsus esse seiunctum; nisi mox quæ male dicta sunt corrigantur; nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse iussit. De quo temporis spacio Ioannes Episcopus Antiochenus in eadem epistola, cuius supra mentionem fecimus, hæc habet: *Enimuerò licet Dominus meus Cœlestinus Deo deuotissimus Episcopus, decem tantum dierum interuallum terminum vsque responsioni præfinitum valdè angustum literis suis interposuerit; tamen res eiusmodi est, vt non dico decem diebus, sed vno; immo verò paucis horis tota confici posse, videatur. Nam quid facilius est, quàm nomine commodo, multisq; sanctis Patribus vsitato, & vero nihilominus, salutarique ex Virgine ortui percongruo, in Christi omnium nostrũ Regis dispensatione vti. Cum ergo neque periculosum hoc sit, æquum non est, vt Sanctitas tua illud refutet.* Decreti huius Apostolici executio demandatur Cyrillo Alexandriæ Episcopo, cui quoque vicem suam Cœlestinus tradidit, vt ex verbis in fine epistolæ apparet; quam hac de causa ad eum dedit Posidonio Alexandrinæ Ecclesiæ diacono deferendam. Hæc autem sunt verba: *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraq; vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi, non absque exquisita seueritate, sententiam exequeris; nempè, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet; eamq; de Christi Dei nostri generatione Fidem in posterum confessurum se spondeat, quam Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat; illicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.* Vt autem

tem Cyrillus mandata sibi ab Apostolica Sede prudenter, ac sedulò curaret, omnemq; vitaret suspicionem priuatæ æmulationis, aut odij in Nestorium; Synodum Alexandriæ congregat; & grauissimam illam epistolam, cui adiuncti sunt duodecim anathematismi, ad Nestorium scribit: quam Patres in sancta Oecumenica Ephesina Synodo approbauerunt; & aduersus quam Nestorij fautores postea tanta animi acerbitate insurrexerunt: cuius exemplum ex actis eiusdem sanctæ Ephesinæ Synodi hìc describendum modò duximus. Sed vt faciliùs epistolæ sententia percipiatur, vtq; Chaldæi Fidei doctrinam, quam profitentur, melius agnoscant; errores, vel potius blasphemias Nestorij proponemus, vt postea in sancta Ephesina Synodo recitatæ fuerunt, Patribus iubentibus, actione prima.

CATALOGVS BLASPHEMIARVM Nestorij, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt. Ex secunda parte sanctæ vniuersalis Synodi Ephesinæ, actione prima. Et epistola Synodi Alexandrinæ ad Nestorium. Cap. VII.

PETRVS *presbyter Alexandriæ, & Notariorum Primicerius dixit: Habemus etiam præ manibus Reuerendissimi Nestorij blasphemiarum commentarios; è quorum vno capita selegimus: quæ, si sanctæ huic Synodo placet, prælegemus.*

Flauianus Philippensium Episcopus dixit: Legantur, &

sum: quod autem Deus ex ipsa natus sit, id nusquam scriptum comperi,

Et post alia: *Diuina proinde Scriptura, Deum ex Christi para Virgine genitum esse nusquam affirmat; sed Iesum Christum, sed Filium, sed Dominum. Atque hæc fatemur omnes. Neque enim miser esse non potest, qui, quæ diuina Scriptura prodit, non statim recipit. Angelorum vox est: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum est, Archangelos natiuitatis mysterium te longè exactius cognouisse. Neque tamen dicunt: Surge, & accipe Deum, & matrem eius; sed, Surge, & accipe puerum, & matrem eius.*

Eiusdem, ex quaternione xxiiij. *Quod ergo dicebamus, eiusmodi est: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum, vel factum est, (nihil enim obest sensui, vtrum dixeris) de Spiritu sancto est: neque etiam obest, si dixerimus, quòd Deus Verbum natus sit in carne. Aliud enim est, simul esse cum nato; & aliud, nasci. Dicit itaque: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: hoc est, Spiritus sanctus, quod in ea est condidit. Animaduerterunt ergo Patres, vt diuinarum Scripturarum peritissimi, si pro eo quod incarnatum dicimus, genitum diceremus; necessario consecuturum, Deum Verbum, vel filium esse Spiritus sancti, vel duos habere patres: si verò factum assereremus, hinc rursum inferri, Deum Verbum Spiritus sancti creaturam esse. Quare generationis vocem fugientes posuerunt: Qui descendit propter nos homines, & propter nostram salutem, & incarnatus est. At quid est, inquis, hoc: Et incarnatus est? Non conuersus ex diuinitate in carnē. Quod autem dixerunt: Et incarnatus est de Spiritu sancto; in hoc Euangelistam secuti sunt. Euangelista enim inhumanationis*

est: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. & Babylonios sanctos: Ego enim, ait, præcipiam eis; sanctificati enim sunt; & ego ducam eos. ità quoque Christum Dominum, & Deum, & Filium, & Sanctum, & Christum appellamus. Verumtamen licèt nominum communicatio similis sit; dignitas tamen non eadem existit.

Item eiusdem, ex quaternione xv. *Hoc sapite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: Non dixit: hoc sapite in vobis, quod & in Deo Verbo, quod cum in forma Dei esset, seruilem formam accepit: sed voce Christi, tanquam vtriusque naturæ notionem complectentes, accepta; sine periculo illum, & serui formam sumpsisse asseuerat, & Deum nominat; dictorum vim in naturarum dualitatem inoffensè partiens.*

Item eiusdem, ex quaternione xvj. *Vt in nomine, inquit, Iesu omne genu flectatur, cœlestium, & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Iesus Christus. Propter induentem indutũ veneror: propter latentem adoro apparentem. inseparabilis à visibili Deus: atque ideò eius qui non separatur, honorem non separo: naturas separo, sed adorationem coniungo.*

Item eiusdem, ex quaternione xvij. *Erat quidem Deus Verbum ante incarnationem, & Filius, & Deus, & Patri coexistens: at verò in vltimis temporibus serui quoque formam assumpsit. Ceterum cum ante Filius esset, & Filius appellaretur; post carnem tamen assumptam seorsum per se Filij nomine appellari non debet, ne duos Filios videamur inducere. Sed quoniam illi vnitus est, qui in principio Filius erat, & ipsi coniunctus est; quod quidem ad filiationis dignitatem attinet, non*

diuinæ maiestatis cooperatorem, vnà cum diuinitate adoro. Et post alia: *Non per se, & secundum se Deus est, quod in vtero formatum est: non per se, & secundum se Deus est, quod Spiritus sancti opera effectum est: non per se, & secundum se Deus est, quod in monumento conditum est. Sic enim hominū, mortuorumq; manifesti cultores essemus. At verò, quia Deus in homine assumpto existit; assumptus, vt assumenti coniunctus, propter assumentem, Deus appellatur.*

Item eiusdem, ex quaternione iij. contra hæreticos, vbi de Spiritu loquitur. *Quomodo is, inquit, seruus esse queat, qui vna cum Patre, & Filio operatur? Quod si quis Spiritus functiones quærat, eas nulla sui parte Patris, & Filij inferiores esse comperiet. Non quòd vna diuinitas in plures partes diuisa sit: sed quòd diuina Scriptura ad ostendendam Trinitatis æqualitatem, ea singulis hypostasibus nonnunquam impertiri soleat, quæ vnius alioqui sunt potentiæ. Hoc verum esse, ex ijs operibus spectare licet, quæ in tempore sunt susceptа. Deus Verbum factū est caro, & habitauit in nobis. Humanam porrò naturam assumptam Pater sibi considere fecit. Ait enim: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Spiritus denique veniens, assumpti gloriam promouit, & inuulgauit. Cum venerit, inquit, Spiritus veritatis, ille me glorificabit.*

Item eiusdem, ex quaternione vj. vbi de Christo agit. *Missus est enim captiuis prædicare remissionem, & cæcis restitutionem visus: & vt Apostolus subiungit, & ait: Hic est ille, qui fidelis Pōtifex à Deo factus est. Factus enim is est, qui ab æterno non præexistebat. Hic, hæretice, ille ipse est, qui ad pontificiam dignitatem paulatim euectus est. Audi vocem hoc tibi clarius intonantem: In diebus illis, inquit, carnis suæ preces, &*

supplicationes ad eum, qui posſit illum ſaluum facere à morte, cũ clamore ualido, & lacrymis offerens, & exauditus eſt pro ſua reuerẽtia. Et quidem cũ eſſet Filius, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiã; & conſummatus factus eſt omnibus obtẽperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Conſummatur autẽ, hæretice, id quod paulatim proficit. Qua de re & Ioannes in Euangelijs clamat: Ieſus, inquit, proficiebat ætate, ſapientia, & gratia. Quibus Paulus conſona pronuntians, ait: Conſummatus factus eſt omnibus obtẽperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ; appellatus à Deo Põtifex ſecundum ordinem Melchiſedech. & infra: Pontifex appellatus. Quid igitur contra mentem Pauli, impaſſibile Deum Verbum interpretaris, terrenæ ſimilitudini ipſum commiſcens, & paſſibilem Pontificem faciens?

Item eiuſdem, ex quaternione xvij. *Vnde fratres uocationis ſupercæleſtis participes, conſiderate Apoſtolũ & Pontificẽ confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illũ.* Et infra: *Cũ igitur unus hic nobis Pontifex ſit, cõpatiens, nobis cognatus, & ſtabilis; nolite à Fide, quæ in ipſum eſt, recedere. Ipſe enim promiſſa nobis benedictionis ex ſemine Abrahæ miſſus eſt, tanquam pro ſe, & cognato ſibi genere ſacrificium offerens. Sed aduerte: Cum omnem Pontificem ſacrificio egere fateatur; Chriſtũq; ueluti qui illius non indiguerit, excipiat; hic tamen tam pro ſe, quàm pro cognato ſibi genere ſacrificium obtuliſſe affirmat.*

Item eiuſdem, ex quaternione iiij. *Audite itaque, & his quæ dicuntur, animum aduertite. Qui manducat, inquit, meam carnẽ. Meminerit is, de carne ſermonem hic eſſe, & carnis uocabulum à me adhibitum non eſſe, ne illis forſan perperam interpretari uidear. Qui, inquit, manducat meam carnẽ, & bibit meũ ſanguinem, non dixit: Qui mãducat meam diuinitatem,*

aut

aut qui bibit meã diuinitatem; sed: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Et post alia: *Verum ad id, quod propositum est, reuertamur: Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Mementote quòd de carne hic verba fiant. Sicut misit me viuẽs Pater: me, inquam, quem cernitis. Sed fortè aliquando perperam interpretor. Audiamus ex sequentibus: Sicut misit me viuens Pater. Ille diuinitatẽ exponit, ego verò humanitatẽ. Iam videamus quis perperam interpretetur illud: Sicut misit me viuens Pater. Hæreticus etiã dicit: Diuinitatem hic exprimit. Sensus est enim: Misit me Deũ Verbum. Secundũ illos, Christi verba hanc sententiã habent: Sicut misit me viuẽs Pater, & ego Deus Verbũ viuo propter Patrẽ. Deinde quod mox sequitur, quomodo accipiendũ est: Qui mãducat me, & ipse viuet? Quid quæso manducamus, diuinitatẽ ne, an humanitatẽ?*

Item eiusdem, ex quaternione xvj. *Et omnino ait, si totũ nouum testamentũ simul accuratè scrutatus fueris, nusquã in eo mortẽ Deo adscriptam cõperies: sed vel Christo, aut Domino, aut Filio. Hæ autẽ voces, Christus, & Filius, & Dominus, quũ Vnigenito in Scripturis tribuuntur, naturarum duarũ indices existunt: & aliquando quidẽ diuinitatem, nonnunquam verò humanitatẽ; interdum autem vtrãque simul exprimũt. Exempli causa, quando Apostolus Paulus per epistolã ita prædicat: Cũ inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filij eius; Filij humanitatẽ clarè indicat. At verò cũ idem rursus ad Hebræos scribens, ait: Deus nobis locutus est in Filio, per quem fecit & sæcula; diuinitatẽ Filij indicat. Neque enim caro sæcula condidit, vt quæ multa post sæcula formata sit.* Et infra: *Neque deitas Iacobum fratrẽ habuit, neque Dei Verbi mor-*

tem annuntiamus, dū corpore, & ſanguine Dominico reficimur.

Item eiuſdem, ex quaternione xxiij. *Animaduerto, inquit, plebem noſtram multū religionis, & maximum pietatis feruorē habere: verū propter dogmatum notitiæ diuinæ ignorationē grauiter errare, ac labi. Hoc tamen ipſi populo vitio vertendum non eſt; ſed doctoribus (quod qua modeſtia dixerim?) tribuendum, quibus otium non ſuppetit, vt vobis aliquid de exactioribus dogmatibus proponant.*

Petrus Presbyter Alexandrinus, & notariorum primicerius dixit: En hìc apertè affirmat, neminē ex doctoribus, qui ante illum extiterunt, ea populis locutum, quæ ipſe locutus eſt.

Flauianus Philippenſium Epiſcopus dixit: Quandoquidem horrenda, ac blaſphema ſunt Neſtorij dicta, neque aures noſtræ hiſce amplius inquinari ferūt blaſphemæ illius voces, ad perpetuā auctoris accuſationem, & notā, ſingillatim actis inſerātur.

Hæ igitur ſunt blaſphemiæ impij Neſtorij, vt vidimus: tranſeamus modò ad epiſtolam ſancti Cyrilli, & Alexandrinæ Synodi.

Religioſiſſimo, ac Deo amabiliſſimo Conſacerdoti Neſtorio, Cyrillus, & congregata in Alexandria Synodus ex Aegypti prouincia, ſalutem in Domino.

CVM *Saluator noſter apertè pronuntiet: Qui diligit patrē, aut matrem ſuper me, non eſt me dignus; & qui diligit filium, aut filiā ſuper me, non eſt me dignus: quid nos faciemus, qui depoſcimur à tua religione, vt te ſuper Chriſtum Saluatorē omnium noſtrū diligamus? Quis enim nobis in die Iudicij patrocinabitur, aut quā defenſionem reperire poterimus propter tā diuturnū ſilentium, de prolatis à te contra eum blaſphemijs? Et ſi quidē te tantummodo læderes, docens iſta, vel ſentiens; ſollici-*

tudo

tudo nobis minor existeret. Cum autē totam scandalizaueris Ecclesiam, & fermentum insolitæ prauitatis, & nouæ hæresis miscueris in populis, nec tantùm ibidē positis, sed vbique consistentibus; (nā tuarum expositionū libri per cuncta vulgati sunt) pro nostro silentio, quæ ratio vltra, vel excusationis sermo sufficiat? Aut quomodo non necesse sit meminisse Christi Domini, sic dicētis: Non putetis quòd venerim pacem mittere in terrā; non veni pacē mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suū, & filiā aduersus matrem suam? Nam cum læditur Fides, parentū reuerentia velut inutilis, & noxia despiciatur: & amor erga filios, fratresq; vitetur. Ad postremum etiā super ipsam vitā mors potius à pijs viris eligatur, vt meliorem resurrectionē (sicut scriptū est) consequantur. Ecce itaque te simul cum sancta Synodo, quæ apud magnā Vrbem Romam congregata est, præsidente Sanctissimo, ac reuerentissimo fratre, & consacerdote nostro Cœlestino Episcopo; his scriptis Synodicis, te etiam tertio conuenimus; consiliū dantes, vt à tā prauis absineas, distortisq; dogmatibus, quæ & sentire cognoscaris, & docere: recipias verò Fidem rectā, Ecclesiis per sanctos Apostolos, & Euangelistas ab initio traditā; qui & oculis inspexerunt, & ministri verbi fuerunt. Quòd si hoc religio tua facere distulerit, iuxta dilationem præfinitā literis Sanctissimi, & Reuerentissimi fratris, & consacerdotis nostri Romanæ Præsulis Ecclesiæ Cœlestini; scias te nullam sortem habere nobiscū; nec locum, aut colloquiū cum Dei Sacerdotibus, & Episcopis obtinere. Non enim fas est negligere Ecclesias ita turbatas, & scādalizatos populos, Fidemq; rectissimā violatā, dissipatumq; gregem; quem custodire debueras, si iuxta nos amator recti dogmatis extitisses, sanctorū Patrū vestigia pia consectans. Omnes itaque, quos propter Fidē

tua religio à cõmunione remouit, aut ab ordine suo depositi laicos, & clericos; in nostrã cõmunionem recipimus. Non enim iustum est eos tuis decretis opprimi, qui nouerunt recta sentire; qui etiam benefacientes, tibi prudentissimè restiterunt. Hoc quidem namque in epistola quam misisti ad Præsulem Magnæ Romæ sanctũ, & Coepiscopum nostrũ Cœlestinum, significare curasti. Non autẽ sufficiet tuæ religioni tantùmodo Fidei symbolũ confiteri, quod expositũ est per idem tempus, Spiritu sancto largiente, à venerando & magno Concilio apud Nicæam congregato. Hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es; quinimmò peruersè, licèt sono vocis eadem verba protuleris. Sed consequens est, te scripto, ac iureiurando fateri, quòd anathematizas quidem tua scelesta, & prophana dogmata; senties autem, & docebis, quæ nos vniuersi per Orientem, seu per Occidentem Episcopi, & magistri, Præsulesq́ populorum credimus, & docemus. Epistolis autem ab Alexandrina Ecclesia tuæ religioni directis; consensum præbuit, tàm ea, quæ apud Vrbem Romanam conuenit sancta Synodus, quàm etiam nos omnes, velut rectè, irreprehensibiliterq́ conscriptis. Subdimus autem his nostris, quæ te sentire oporteat, & docere; & ea à quibus abstinere conueniat. Hæc est enim Fides Catholicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt Orthodoxi per Occidentem, Orientemq́ Pontifices.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & inuisibilium factorem. Et in vnũ Dominum Iesum Christũ Filium Dei; natum de Patre vnigenitum, hoc est ex substantia Patris. Deũ ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero. Natũ, non factum; homousion Patris, hoc est vnius cum Patre substantiæ; per quem omnia facta sunt in cælo, & in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salu-

salutē descendit de cœlis. Et incarnatus est, & homo factus, passus est. Et resurgens tertia die ascendit in cœlos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctū. Eos autem qui dicunt: Erat tēpus quando non erat, & antequam nasceretur nō erat; & quia ex nullis existentibus factus est; aut ex alia substantia, vel essentia esse dicunt; aut conuertibilem, vel commutabilem Dei Filium; anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia. Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrū confessiones, quas loquente in eis sancto Spiritu protulerunt; & intentioni, quæ est in eorū intellectibus, æquis vestigijs inhærentes, atque iter ambulantes regium; profitemur quòd ipsum vnigenitum Dei Verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine; per quē omnia facta sunt, siue in cœlis, siue in terra; salutis nostræ causa descendens, ad exinanitionem sese dignatus est inclinare; incarnatus, & homo factus, id est carnem de Virgine sancta suscipiens, eamq; próprium faciens; natiuitatem nostrā ex vulua sustinuit, homo de muliere procedens; nec quod erat abijciens. Nā licet factus sit in assumptione carnis, & sanguinis; tamen etiā sic quod erat; Deus natura scilicet, & veritate perstitit. Nec carnem itaque dicimus in naturā Deitatis esse conuersam; nec in substantiā carnis ineffabilem Dei Verbi essentiā cōmutatam. Inconuertibilis est enim, & inalterabilis omnino; idemq; ipse, iuxta Scripturas, iugiter permanens. Visus est autem & paruulus, positusq; in cunabulis; & finibus Genitricis Virginis constitutus, vniuersam creaturā replebat vt Deus, genitori suo assidens: diuinum enim sine quantitate, & sine mole est, nec vllis terminis continetur. Vnitum esse carni Verbū secundum subsistentiā confitentes, vnum adoramus Filiū, & Dominum Iesum Christum; non seorsum

ponen-

ponentes, neque determinantes hominem, & Deum, velut inuicem sibi dignitatis, & auctoritatis vnitate cõiunctos: hoc enim nouitas vocis est, & nihil aliud. Nec itẽ Christum specialiter nominantes Dei Verbum, quod ex Deo est; nec alterum similiter Christũ specialiter, qui de muliere natus est: sed vnũ solummodo Christum, Dei Patris Verbum cum propria carne cognoscimus. Tunc enim ex humana cognitione nobiscum vnctus est; etiã si ipse sit, qui dat dignis accipere, Spiritum sanctum: & nõ ad mensurã; sicut beatus Ioannes Euangelista asseruit. Sed nec illud dicimus, quòd Dei Verbum velut in homine cõmuni, qui de sancta Virgine natus est; habitauerit: ne existimetur Christus homo Deifer. Quãuis enim habitauerit Verbum in nobis; & dictum sit, in Christo habitasse omnẽ plenitudinem Deitatis corporaliter; attamen intelligimus, quòd caro factus, non sicut in Sanctis habitare dicatur, nec talem in ipso habitationem factã diffinire tentauimus: sed vnitus naturaliter, nec in carnem cõmutatus, talem sibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Vnus igitur est Christus Filius, & Dominus; non velut coniunctione qualibet in vnitate dignitatis, & auctoritatis hominis habentis ad Deum. Nõ enim vnit naturas dignitatis æqualitas. Etenim Petrus & Ioannes æquales sunt ad alterutrum dignitatis, quatenus sunt Apostoli, & sancti discipuli: verumtamen duo nõ sunt vnus. Nec secundum appositionẽ modum coniunctionis aduertimus: hoc enim ad vnitatem non sufficit naturalem. Nec secundum participationem relatiuã, sicut nos etiam adhærentes Domino, vnus cum eo Spiritus sumus, secundum quod scriptum est: imò potius coniunctionis nomen euitamus, tanquam nõ existens idoneum ad significandam vnitatẽ. Sed neque Deum, aut Dominum

num Christi, Verbū Dei Patris nominamus, ne iterum manifestè in duos diuidamus vnū Christum Filium, & Dominum, & in crimen blasphemiæ recidamus; Deū illi seipsum facientes, & Dominū. Vnitus quippe (sicuti superius diximus) Deus Verbū carni secundum hypostasim; Deus quidē est omnium, & dominator vniuersitatis: verumtamen nec seruus est sibi ipse, nec dominus; quoniā ineptum est, vel potius impium, hoc sic sentire, vel dicere. Quamuis enim dicat Deum, suum Patrē; cum sit natura Deus, & de substātia eius; tamen nullatenus ignoramus, quòd manēs Deus, homo quoque factus sit, qui sub Deo, iuxta legem naturæ humanitatis conuenientem, existeret: ipse verò sibi quomodo, vel Deus poterit esse, vel Dominus? Ergo sicut homo, quantùm decenter exinanitionis mensuræ cōgruit: sub Deo se nobiscū esse dicit. Hoc pacto sub lege factus est; quāuis ipse dederit legē, & legislator, vt Deus, existeret. Cauemus de Christo dicere: Propter assumentē veneror assumptū; & propter inuisibilem adoro visibilem. Horrendum verò super hoc est etiā illud dicere: Is, qui susceptus est, cum eo, qui suscipit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, diuidit iterū in duos Christos eum qui vnus est; hominē seorsum in parte; & Deum similiter in parte constituens. Euidenter enim denegat vnitatē, secundum quam non alter in altero coadoratur, neque connuncupatur Deus; sed vnus intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, vna adoratione cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quòd idē ipse, qui ex Deo Patre natus est Filius, & Deus vnigenitus, licet iuxta naturā propriam impassibilis extiterit; pro nobis tamen secundū Scripturas, carne perpessus sit; & erat in crucifixo corpore, propriæ carnis impassibiliter sibi approprians passiones. Gratiā verò Dei pro omnibus gustauit mortē, tradens & pro-

prium

prium corpus; quãuis & naturaliter ipse vita sit, & resurrectio mortuorum. Nã vt mortem ineffabili potentia proculcaret; ac prius in sua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium; viamq́ faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum; gratia Dei (sicut supra dictum est) pro omnibus gustauit morte, & tertia die resurrexit, & expoliauit infernũ. Idcirco quãuis dicatur, quòd per hominem facta sit resurrectio mortuorum; tamen intelligimus hominem, qui est Verbum ex Deo genitum; & per ipsum, mortis imperiũ fuisse destructum. Veniet autem temporibus præfinitis (tanquã vnus Filius, & Dominus) in gloria Patris, vt iudicet orbem terrarum in iustitia; vt scriptum est. Necessariò quoque, & hoc adijciemus: Annunciantes enim mortem secundum carnẽ Vnigeniti Filij Dei, id est Iesu Christi; & ex mortuis resurrectionem eius; & in cœlis ascensionem pariter confitentes; ineruentum celebramus in Ecclesiis sacrificium. Sic enim ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sanctæ carnis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti; non vt communem carnem percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati; & Verbo coniuncti, secundum dignitatis vnitatem; aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia vnus factus cum propria carne; viuificantem eam esse declarauit. Et ideò quamuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis existimare debemus, (quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro poterit hominis?) sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis

minis est factus, & vocatus. Eas autē voces, quas Saluator noster in Euangelijs protulit; nō in duabus subsistentijs, aut personis partimur: non enim duplex est, vnus, & solus Christus; quāuis ex duabus, & differentibus rebus ad vnitatē cognoscitur individuā cōuenisse. Sicut homo quoque ex anima intelligitur esse, & corpore; nō duplex, sed vnus potius est ex vtroque. Humanas ergo, & diuinas insuper voces ab vno Christo dictas, animaduertētes rectè sentimus. Cū enim loquitur de seipso: Qui me videt, videt & Patrē: & Ego & Pater vnū sumus; diuinā eius intelligimus, ineffabilemq; naturā secundum quam vnū est cum Patrē suo propter identitatē substantiæ; imago & character, splendorq; gloriæ eius existens. Cū verò humanæ naturæ conditionē minimè aspernans, Iudæos alloquitur: Nunc me quæritis occidere hominem, qui veritatem loquutus sum vobis; rursum nihilominus eū, qui in similitudine, & æqualitate Patris est; Deum Verbū, etiam in conditionibus humanitatis eius, agnoscimus. Etenim si necessariū est credere, quòd natura Deus existens, factus sit caro; immò potius homo animatus anima rationali: quæ causa est, vt in eius quibuslibet vocibus aliquis erubescat, si eas homine dignas effatus est? Quòd si sermones homini congruentes abijcit; iuxta nos hominē fieri, quis coegit? Cum verò se propter nos ad exinanitionē spontaneam misericorditer inclinauerit; quā ob causam dignos exinanitione sermones effugerit? Vni igitur personæ cunctæ voces eius in Euangelio adscribendæ; vni subsistentiæ Verbi (scilicet) incarnati; quia vnus est Dominus Iesus Christus secundū Scripturas. Quamuis autem appelletur, & Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ, tanquā offerens Deo & Patri, ac etiam Spiritui sancto Fidei confessionē; ipsum rursus esse dicimus ex Deo Filium Vnigenitum;

nec

nec homini alteri ab eo, Sacerdotij nomen, & vsum tribuimus: factus est enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, semetipsum Deo, & Patri offerens in odorem suauitatis. Ideoq; dicebat: Sacrificiū & oblationem noluisti: corpus autem perfecisti mihi. holocausta, & pro peccato nō tibi placuerunt. tūc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerē, Deus, voluntatem tuam. Obtulit enim proprium corpus non pro se, sed pro nobis in odorem suauitatis. Nam qua pro se vel oblatione, vel sacrificio indigeret, omni peccato existens liber, vt Deus? Quòd si omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, secundum hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti; & peccatis ægrotauit humana natura; ipse verò non ita: ideoq; & nos à gloria eius superamur; cur erit vlera iā dubium, quòd agnus verus sit pro nobis immolatus? Qui autem dicit, quia seipsum tàm pro se, quàm pro nobis obtulerit; nullatenus impietatis crimen effugiet: cū nihil prorsus iste deliquerit, nec vllum fecerit omnino peccatum. Qua igitur egeret oblatione, nullo suo existente facinore? pro quo (si esset) satis admodum conuenienter offerret. De Spiritu quoque cum dicit: Ille me clarificabit; hoc rectissimè sentientes, vnum Christum Dominū, & Filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur, à Spiritu sancto gloriam consecutum: quia eius Spiritus nec melior, nec superior ipso est; sed quia magna opera faciens ad demonstrationem suæ Deitatis, proprio Spiritu vtebatur: sicuti si quis fortè nostrū de existente in se robore, vel scientia in quolibet; ipsa me clarificabit; diceret. Quānis enim in propria sit subsistentia Spiritus; & intelligatur per se iuxta id, quod Spiritus est, & non Filius; attamē alienus nō est. Nā Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est; & ab isto similiter sicut ex Deo Patre, procedit.

dit. Denique hic ipse Spiritus, etiã per sanctorũ manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificauit Iesum Christum, postquã ascendit in cælum. Nam creditus est Christus, natura Deus existens, per suũ Spiritum virtutes efficiens: ideoq; dicebat: de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nequaquã verò participatione alterius idẽ Spiritus sapiens, aut potens dicitur; quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nã paternæ virtutis, & sapiẽtiæ, idest Filij Spiritus est: & ideò ipsa re virtus, & sapientia est, & potentia. Igitur, quia Deum carne vnitũ, iuxta subsistentiam sancta Virgo corporaliter peperit; idcirco eam Dei genitricem esse profitemur: non quòd Verbi natura existendi principium de carne sortita sit; (erat enim in principio Verbũ, & Deus erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & ipse conditor sæculorum Patri coæternus, & vniuersitatis creator:) sed vt superius diximus; quoniã iuxta subsistentiam sibimet vniens humanam naturã; natiuitatem subsisteret ex ipsa vulua corporea. Non quòd egerit necessario propter suam naturam, natiuitate, quæ est in extremis sæculi facta temporibus; sed vt ipsas benediceret substãtiæ nostræ primitias: & dum Deum carni vnitum mulier edidisset; illa, quæ aduersus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, desineret; nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque, quod dictũ est: In tristitia paries filios, ipse dissoluens; verũ esse monstraret, quod Prophetæ voce prædixerat: Absorpta est mors in victoria. Et iterum: Abstulit Deus omnem lacrymã ab omni facie. Propter hanc enim causam dicimus, eũ dispensatoriè & ipsis tũc benedixisse nuptijs; cũ in Cana Galilææ cum sanctis vocatus fuit Apostolis. Hæc sapere edocti sumus, tàm à sanctis Apostolis, quàm Euangelistis, & ab omni Scriptura diuinitus

inspi-

inspirata, necnon & à beatis Patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolū consentire, conuenit. Quæ verò religionem tuā anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subiecta sunt.

I. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emanuel; & propterea Dei genitricem sanctam Virginem: (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est) anathema sit.

II. Si quis non confitetur, carni secundum hypostasim vnitum Dei Patris Verbum; vnumq; esse Christum cum propria carne; eundem scilicet Deum simul, & hominē: anathema sit.

III. Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitatem, sola eas connexione coniungens; eaq;, quæ secundum carnis dignitatem sit, vel etiā auctoritatē & potestatem; ac non potius conuentu, qui per vnitatē factus est naturalem: anathema sit.

IV. Si quis in personis duabus, vel subsistentijs eas voces quæ in Euangelicis, Apostolicisq; scriptis continentur, diuidit; vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso de seipso; & aliquas quidem ex his, veluti homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, adscribit; alias verò, tanquam conuenientes Deo, soli Dei Patris Verbo: anathema sit.

V. Si quis audeat dicere hominē Christum Theophoron, id est Deiferū; ac non potius Deum esse veraciter, dixerit, tanquā Filium per naturā; secundum, quod Verbum factum est caro, & cōmunicauit similiter & nos carni, & sanguini: anathema sit.

VI. Si quis dicere audeat, Deum esse vel Dominum Christi Dei Patris Verbum; & non magis eundem ipsum confitetur Deum simul, & hominem; propterea quòd Verbum caro factum est, secundum Scripturas: anathema sit.

VII. Si

VII. Si quis dicit, velut hominem Iesum operante Deo Verbo actum esse; & Vnigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit: anathema sit.

VIII. Si quis ausus fuerit dicere, assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & conglorificandum, & connuncupandum Deum, tanquam alterum in altero (nam, con, syllaba superadiecta, hæc cogit intelligi;) ac non potius vna adoratione veneratur Emmanuelem; vnamq; ei glorificationem attribuit; iuxta quod Verbum caro factum est: anathema sit.

IX. Si quis vnum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit à Spiritu sancto, tanquam qui aliena virtute per eum vsus fuerit; & ab eo acceperit posse operari contra immundos spiritus; posse & coram hominibus diuina signa perficere; ac non potius proprium fatetur eius Spiritum, per quem diuina signa operatus est: anathema sit.

X. Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum diuina Scriptura dicit; obtulisseq; semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est; & homo, (iuxta nos homines;) sed velut alterum, præter ipsum specialiter, hominem ex muliere: aut qui dicit, quòd pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis. Non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit: anathema sit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris; sed velut alicuius alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem; aut quasi diuinam habentis habitationem; ac non potius viuificatricem esse, vt dicebamus; quia facta est propria Verbi, cun-

cta viuificare habentis potestatem: anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse; factumq; primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est; & viuificatorem vt Deus: anathema sit.

PERSISTENTE IN SVA impietate Nestorio, Concilium Vniuersale Ephesi congregatur, in quo Synodali sententia ipse damnatur. Cap. VIII.

IGITVR epistolam, & anathematismos cum Cœlestini literis, quibus decretum corrigendi ab eo erroris sui continebatur, ad Nestorium per quatuor Episcopos, Theopentum, Danielem, Potamonem, atque Macarium, ab Alexandrina Synodo hac de causa ad ipsum Legatos; Cyrillus mittit. Obduratur magis Nestorius, ac vehementiori excandescens iracundia, actus in furias, adeò graues vndique commouet turbas, vt ad eas componendas, sedandasq; necessarium fuerit indicere Vniuersale Concilium. Locus habendæ Synodo eligitur Ephesus nobilis Ciuitas in Asia. Tempus statuitur dies Pentecostes. Conueniunt Patres literis Imperatoris Theodosij cohortati ad hunc necessarium conuentum; cui sanctus Cyrillus vices Summi Pontificis Cœlestini gerens, præfuit. Venit quoque Nestorius Ephesum, sed sistere se sacro Concilio noluit; quamquam à sancta Synodo fuerit canonicè requisitus; missis ad eum non mo-

dò

dò ter, ſed quater Epiſcopis, qui illum euocarent. Nicænum interea Fidei Symbolum legitur; ac pariter literæ à Cyrillo, atque Alexandrina Synodo ad Neſtoriũ miſſæ leguntur; & cum Symbolo prædicto conferuntur, atque à Patribus mirificè laudantur. Deinde ad comprobandam magis eorũ doctrinam de ineffabili myſterio Incarnationis Verbi Dei, quamplura ſanctorum Patrum teſtimonia in medium afferuntur. Poſtremò nefariæ Neſtorij blaſphemiæ ex diuerſis ſuis cõmentarijs, & homilijs recẽſentur, expenduntur, examinanturque. Ipſo autẽ in ſui cordis duritia magis ſemper perſiſtẽte; ſancta Synodus ſententiã, iuxta decretũ Cœleſtini Papæ in eum protulit, his verbis: *SANCTA SYNODVS dixit: CVM præter cetera impiſſimus Neſtorius, neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos, religioſiſſimoſq; Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit; neceſſariò deuenimus ad examinationem eorũ, quæ impiè docuit. Deprehendentes itaque partim ex literis, commentarijſq; ipſius; partim ex ſermonibus, quos nuperrimè in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quiq; teſtimonijs comperti ſunt; illum impiè ſentire, & prædicare; coacti per ſacros canones, & epiſtolã Sanctiſſimi Patris noſtri, & comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi; lacrymis abundè perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus. Igitur DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit: per ſanctam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe decreuit.*

Hoc igitur pacto Neſtorius ab vniuerſali Concilio San-

num Christi, Verbū Dei Patris nominamus, ne iterum manifestè in duos diuidamus vnū Christum Filium, & Dominum, & in crimen blasphemiæ recidamus; Deū illi seipsum facientes, & Dominū. Vnitus quippe (sicuti superius diximus) Deus Verbū carni secundum hypostasim; Deus quidē est omnium, & dominator vniuersitatis: verumtamen nec seruus est sibi ipse, nec dominus; quoniā ineptum est, vel potius impium, hoc sic sentire, vel dicere. Quamuis enim dicat Deum suum Patrē; cum sit natura Deus, & de substātia eius; tamen nullatenus ignoramus, quòd manēs Deus, homo quoque factus sit, qui sub Deo, iuxta legem naturæ humanitatis conuenientem, existeret: ipse verò sibi quomodo, vel Deus poterit esse, vel Dominus? Ergo sicut homo, quantùm decenter exinanitionis mensuræ cōgruit; sub Deo se nobiscū esse dicit. Hoc pacto sub lege factus est; quāuis ipse dederit legē, & legislator, vt Deus, existeret. Cauemus de Christo dicere: Propter assumentē veneror assumptū; & propter inuisibilem adoro visibilem. Horrendum verò super hoc est etiā illud dicere: Is, qui susceptus est, cum eo, qui suscipit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, diuidit iterū in duos Christos eum qui vnus est; hominē seorsum in parte; & Deum similiter in parte constituens. Euidenter enim denegat vnitatē, secundum quam non alter in altero coadoratur, neque connuncupatur Deus; sed vnus intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, vna adoratione cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quòd idē ipse, qui ex Deo Patre natus est Filius, & Deus vnigenitus, licèt iuxta naturā propriam impassibilis extiterit; pro nobis tamen, secundū Scripturas, carne perpessus sit; & erat in crucifixo corpore, propriæ carnis impassibiliter sibi approprians passiones. Gratia verò Dei pro omnibus gustauit mortē, tradens & pro-

prium

prium corpus; quãuis & naturaliter ipse vita sit, & resurrectio mortuorum. Nã vt mortem ineffabili potentia proculcaret; ac prius in sua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium; viamq́ faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum; gratia Dei (sicut supra dictum est) pro omnibus gustauit morte, & tertia die resurrexit, & expoliauit infernũ. Idcirco quãuis dicatur, quòd per hominem facta sit resurrectio mortuorum; tamen intelligimus hominem, qui est Verbum ex Deo genitum; & per ipsum, mortis imperiũ fuisse destructum. Veniet autem temporibus præfinitis (tanquã vnus Filius, & Dominus) in gloria Patris, vt iudicet orbem terrarum in iustitia; vt scriptum est. Necessariò quoque, & hoc adijciemus: Annunciantes enim mortem secundum carnẽ Vnigeniti Filij Dei, id est Iesu Christi; & ex mortuis resurrectionem eius; & in cœlis ascensionem pariter confitentes; incruentum celebramus in Ecclesiis sacrificium. Sic enim ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sanctæ carnis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti; non vt communem carnem percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, & Verbo coniuncti, secundum dignitatis vnitatem; aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia vnus factus cum propria carne; viuificantem eam esse declarauit. Et ideò quamuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis existimare debemus, (quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro poterit hominis?) sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos Filius hominis

minis est factus, & vocatus. Eas autē voces, quas Saluator noster in Euangelijs protulit; nō in duabus subsistentijs, aut personis partimur: non enim duplex est, vnus, & solus Christus; quāuis ex duabus, & differentibus rebus ad vnitatē cognoscitur individuā cōuenisse. Sicut homo quoque ex anima intelligitur esse, & corpore; nō duplex, sed vnus potius est ex vtroque. Humanas ergo, & diuinas insuper voces ab vno Christo dictas, animaduertētes rectè sentimus. Cū enim loquitur de seipso: Qui me videt, videt & Patrē: & Ego & Pater vnū sumus; diuinā eius intelligimus, ineffabilemq; naturā, secundum quam vnū est cum Patre suo propter identitatē substantiæ; imago & character, splendorq; gloriæ eius existens. Cū verò humanæ naturæ conditionē minimè aspernans, Iudæos alloquitur: Nunc me quæritis occidere hominem, qui veritatem loquutus sum vobis; rursum nihilominus eū, qui in similitudine, & æqualitate Patris est, Deum Verbū, etiam in conditionibus humanitatis eius, agnoscimus. Etenim si necessariū est credere, quòd natura Deus existens, factus sit caro; immò potius homo animatus anima rationali: quæ causa est, vt in eius quibuslibet vocibus aliquis erubescat, si eas homine dignas effatus est? Quòd si sermones homini congruentes abijcit; iuxta nos hominē fieri, quis coegit? Cum verò se propter nos ad exinanitionē spontaneam misericorditer inclinauerit; quā ob causam dignos exinanitione sermones effugerit? Vni igitur personæ cunctæ voces eius in Euangelio adscribendæ; vni subsistentiæ Verbi (scilicet) incarnati; quia vnus est Dominus Iesus Christus secundū Scripturas. Quamuis autem appelletur, & Apostolus, & Pontifex confessionis nostræ, tanquā offerens Deo, & Patri, ac etiam Spiritui sancto Fidei confessionē; ipsum rursus esse dicimus ex Deo Filium Vnigenitum;

nec

dit. Denique hic ipse Spiritus, etiã per sanctorũ manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificauit Iesum Christum, postquã ascendit in cælum. Nam creditus est Christus, natura Deus existens, per suũ Spiritum virtutes efficiens: ideoq; dicebat: de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nequaquã verò participatione alterius idẽ Spiritus sapiens, aut potens dicitur; quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nã paternæ virtutis, & sapiẽtiæ, idest Filij Spiritus est: & ideò ipsa re virtus, & sapientia est, & potentia. Igitur, quia Deum carne vnitũ, iuxta subsistentiam sancta Virgo corporaliter peperit; idcirco eam Dei genitricem esse profitemur: non quòd Verbi natura existendi principium de carne sortita sit; (erat enim in principio Verbũ, & Deus erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & ipse conditor sæculorum Patri coæternus, & vniuersitatis creator:) sed vt superius diximus; quoniã iuxta subsistentiam sibimet vniens humanam naturã; natiuitatem subsisteret ex ipsa vulua corporea. Non quòd egerit necessario propter suam naturam, natiuitate, quæ est in extremis sæculi facta temporibus; sed vt ipsas benediceret substãtiæ nostræ primitias: & dum Deum carni vnitum mulier edidisset; illa, quæ aduersus omne genus humanum maledictio fuerat prolata, desineret; nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque, quod dictũ est: In tristitia paries filios, ipse dissoluens; verũ esse monstraret, quod Prophetæ voce prædixerat: Absorpta est mors in victoria. Et iterum: Abstulit Deus omnem lacrymã ab omni facie. Propter hanc enim causam dicimus, eũ dispensatoriè & ipsis tũc benedixisse nuptijs; cũ in Cana Galilææ cum sanctis vocatus fuit Apostolis. Hæc sapere edocti sumus, tàm à sanctis Apostolis, quàm Euangelistis, & ab omni Scriptura diuinitus

inspi-

inspirata, necnon & à beatis Patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolũ consentire, conuenit. Quæ verò religionem tuã anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subiecta sunt.

I. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emanuel; & propterea Dei genitricem sanctam Virginem: (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est) anathema sit.

II. Si quis non confitetur, carni secundum hypostasim vnitum Dei Patris Verbum; vnumq́ esse Christum cum propria carne; eundem scilicet Deum simul, & hominẽ: anathema sit.

III. Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitatem, sola eas connexione coniungens; eaq́, quæ secundum carnis dignitatem sit, vel etiã auctoritatẽ & potestatem; ac non potius conuentu, qui per vnitatẽ factus est naturalem: anathema sit.

IV. Si quis in personis duabus, vel subsistentijs eas voces quæ in Euangelicis, Apostolicisq́ scriptis continentur, diuidit; vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso de seipso; & aliquas quidem ex his, veluti homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, adscribit; alias verò, tanquam conuenientes Deo, soli Dei Patris Verbo: anathema sit.

V. Si quis audeat dicere hominẽ Christum Theophoron, id est Deiferũ; ac non potius Deum esse veraciter, dixerit, tanquã Filium per naturã; secundum, quod Verbum factum est caro, & cõmunicauit similiter & nos carni, & sanguini: anathema sit.

VI. Si quis dicere audeat, Deum esse vel Dominum Christi Dei Patris Verbum; & non magis eundem ipsum confitetur Deum simul, & hominem; propterea quòd Verbum caro factum est, secundum Scripturas: anathema sit.

VII. Si

VII. Si quis dicit, velut hominem Iesum operante Deo Verbo actum esse; & Vnigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit: anathema sit.

VIII. Si quis ausus fuerit dicere, assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, & conglorificandum, & connuncupandum Deum, tanquam alterum in altero (nam, con, syllaba superadiecta, hæc cogit intelligi;) ac non potius una adoratione veneratur Emmanuelem; unamq; ei glorificationem attribuit; iuxta quod Verbum caro factum est: anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit à Spiritu sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit; & ab eo acceperit posse operari contra immundos spiritus; posse & coram hominibus diuina signa perficere; ac non potius proprium fatetur eius Spiritum, per quem diuina signa operatus est: anathema sit.

X. Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum diuina Scriptura dicit; obtulisseq; semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est; & homo, (iuxta nos homines;) sed velut alterum, præter ipsum specialiter, hominem ex muliere: aut qui dicit, quòd pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis. Non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit: anathema sit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris; sed velut alicuius alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem; aut quasi diuinam habentis habitationem; ac non potius viuificatricem esse, vt dicebamus; quia facta est propria Verbi, cun-

cta ꝛviuificare habentis potestatem: anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse: factumq; primogenitum ex mortuis, secundum quod ꝛvita est; & ꝛviuificatorꝛ vt Deus: anathema sit.

PERSISTENTE IN SVA impietate Nestorio, Concilium Vniuersale Ephesi congregatur, in quo Synodali sententia ipse damnatur. Cap. VIII.

IGITVR epistolam, & anathematismos cum Cœlestini literis, quibus decretum corrigendi ab eo erroris sui continebatur, ad Nestorium per quatuor Episcopos, Theopentum, Danielem, Potamonem, atque Macarium, ab Alexandrina Synodo hac de causa ad ipsum Legatos; Cyrillus mittit. Obduratur magis Nestorius, ac vehementiori excandescens iracundia, actus in furias, adeò graues vndique commouet turbas, vt ad eas componendas, sedandasq; necessarium fuerit indicere Vniuersale Concilium. Locus habendæ Synodo eligitur Ephesus nobilis Ciuitas in Asia. Tempus statuitur dies Pentecostes. Conueniunt Patres literis Imperatoris Theodosij cohortati ad hunc necessarium conuentum; cui sanctus Cyrillus vices Summi Pontificis Cœlestini gerens, præfuit. Venit quoque Nestorius Ephesum, sed sistere se sacro Concilio noluit; quamquam à sancta Synodo fuerit canonicè requisitus; missis ad eum non mo-

dò

dò ter, ſed quater Epiſcopis, qui illum euocarent. Nicænum interea Fidei Symbolum legitur; ac pariter literæ à Cyrillo, atque Alexandrina Synodo ad Neſtoriũ miſſæ leguntur; & cum Symbolo prædicto conferuntur, atque à Patribus mirificè laudantur. Deinde ad comprobandam magis eorũ doctrinam de ineffabili myſterio Incarnationis Verbi Dei, quamplura ſanctorum Patrum teſtimonia in medium afferuntur. Poſtremò nefariæ Neſtorij blaſphemiæ ex diuerſis ſuis cõmentarijs, & homilijs recẽſentur, expenduntur, examinanturque. Ipſo autẽ in ſui cordis duritia magis ſemper perſiſtẽte; ſancta Synodus ſententiã, iuxta decretũ Cœleſtini Papæ in eum protulit, his verbis:

SANCTA SYNODVS dixit: CVM præter cetera impiſſimus Neſtorius, neque noſtræ citationi parere, neque ſanctiſſimos, religioſiſſimoſq; Epiſcopos à nobis deſtinatos admittere voluerit; neceſſariò deuenimus ad examinationem eorũ, quæ impiè docuit. Deprehendentes itaque partim ex literis, commentarijſq; ipſius; partim ex ſermonibus, quos nuperrimè in hac Epheſiorum Metropoli habuit, quiq; teſtimonijs comperti ſunt; illum impiè ſentire, & prædicare; coacti per ſacros canones, & epiſtolã Sanctiſſimi Patris noſtri, & comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi; lacrymis abundè perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus. Igitur DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit: per ſanctam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe decreuit.

Hoc igitur pacto Neſtorius ab vniuerſali Concilio San-

Sanctorum Patrum damnatus, & ab Ecclesia sancta Catholica separatus; eiectus fuit; quia, vt vidimus, primus ausus fuit asserere, quod hactenus inauditum fuerat: Beatissimam Virginem non esse Dei matrem: & diuisionem in Christo Domino nostro ponere.

FONS, ET ORIGO HÆRESEOS Nestorij detegitur. Cap. IX.

QVOMODO Nestoriana hæresis in Ecclesia Dei exorta est; & quo pacto à sanctis Patribus damnata; satis, vt arbitror, abundè vidimus. Sed quia in ægritudinibus corporis, haud sufficit nosse morbum esse febrim, vel aliquam aliam prauam humorum affectionem; sed necessarium est, quantum fieri potest; causas, ex quibus infirmitas processit, cognoscere; si quis ægroti curationem rectè instituere velit: ita, & nobis de pestilentissima hac hæresi agentibus, vt saluti animarum contagione hac pessima laborantium, prospiciatur; necesse est, post eius declarationem, causam, & originem, vnde ab initio fluxit; detegere. Nam, tametsi primus fuerit Nestorius, qui nefariam hanc blasphemiam in sanctissimam Dei Matrem palam euomuerit; habuit ipse nihilominus impietatis suæ auctores, atque magistros; quorum pernicioſissima scripta ipso Nestorio iam damnato, atque in exilium expulso, combustisq; vbique locorum commentarijs, homilijs, & expositionibus de pessimo hoc suo dogmate ab ipso compositis; instaurare damnatissimam hæresim, summo cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento,

potue-

potuerunt: quos nisi Chaldæis indicaremus, apud quos, vt facile percipere potuimus, auctoritas, & doctrina eorundem damnatorum auctorum plurimum valet; frustra laborauissemus. Clerus Constantinopolitanus, qui primus blasphemias Nestorij audiuit, arbitratus est ipsum infectum fuisse Pauli Samosateni peruersa opinione: vt ex contestatione ipsius Cleri, hìc apposita, videre licet.

Contestatio publicè proposita à Clericis Constantinopolitanis, & in conspectu Ecclesiæ publicata: Quòd Nestorius eiusdem sit sententiæ cum Paulo Samosateno, ante CLX. annos ab Orthodoxis Episcopis anathemate condemnato. Descripta ex prima parte Concilij Ephesini, cap. 13.

QVICVMQVE schedam hanc accepturi sunt, eos, per sacrosanctã Trinitatem adiuro, obtestorq́, vt eandẽ Episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus, necnon & laicis quoq́ Constantinopoli habitantibus, ostendant: eiusdemq́, si fieri potest, exẽplum, ad euidentẽ hæretici Nestorij confusionem, ijsdem impertiantur: vt qui eadem prorsus, quæ Paulus Samosatenus, ante CLX. annos à Catholicis Episcopis anathemate condemnatus; docere, ac sapere apertè conuincitur. Quæ autẽ ab vtroque dicta comperiuntur, ea ad hunc modũ se habent. Paulus Samosatenus ait: Maria Verbum non peperit. Nestorius ab huius sensu non recedens, inquit: Heus tu, bone vir, Maria diuinitatẽ non edidit. Addit Paulus: Neque enim erat ante sæcula. Nestorius ait: Diuinitati, quæ tẽpora condidit, matrem temporaneã assignant. Rursum Paulus: Maria Verbũ suscepit; neque est senior Verbo. Nestorius ait: Quì fieri queat, vt Maria ex se genuerit seniorẽ se? Paulus ait: Maria edidit hominem, nulla in parte nobis dissimi-

milem. Nestorius dicit: Qui ex Virgine natus est, tantum homo est. Paulus ait: Atqui per omnia præstantior est; nam iuxta Scripturas, de Spiritu sancto est, diuinoq; decreto, vberrima gratia donatus est. Nestorius ait: Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, & manentem super illum, necnon ascensionis vim illi impertientem: quandoquidem præcipiens Apostolis, quos elegerat, per Spiritum sanctum assumptus est. Hic igitur ille est, qui hanc tantam gratiam Christo impertitus est. Paulus ait: Quare, qui genere ex Dauid ducto inunctus est; à sapientia alienus censendus non est: neque tantum sapientiæ in alio quopiam, quantum in ipso extitisse; putandum est. Sanè fuit illa ampla in Prophetis; vberior, ampliorq; in Moyse, & alijs nonnullis: at verò in Christo, tanquam in quodam Dei templo, amplissima extitit. Idem in alio loco, alium docet esse Iesum Christum; alium rursum, Deum Verbum. Nestorius ait: Fieri nequit, eum, qui ante omnia sæcula natus est semel; denuò nasci; idq; secundum diuinitatem. En manifestè legis transgressor deprehenditur Nestorius, vt qui eum, qui ex Patre genitus est, ex sacra Virgine nasci potuisse diserte neget: & Paulo Samosateno hæretico, qui alium asserit esse Verbum, & alium rursus Iesum Christum; neque vnum esse, vt Orthodoxa profitetur Ecclesia; planissimè adstipulatur. Hactenus Clerici Constantinopolitani. Quæ contestatio Cleri Constantinopolitani consonat ijs, quę scripserat hoc tempore Summus Pontifex sanctus Cœlestinus. Ipse enim scribens ad Clerum, & Populum Constantinopolitanũ, sic ait: *Aperte ergo dilectioni vestræ, quod sine lacrymis non possumus dicere; nuntiamus. Mouit disputator vester prælium veritati, antiquæ Fidei intulit manus: impugnat Apostolos: Prophetas respuit: ipsius*

ipsius Domini nostri de se dicentis verba non sequitur. Cuius religionis, & quibus legibus seipsum Episcopũ dicit; abusus veteri, & nouo testamento? nam intellectum figuræ respuit, & inter nos versatam non recipit veritatem. Aliter denique de Christi Dei nostri iactat arcano, quàm Fidei nostræ patitur sacramentum, quod reuerenter secutus est omnis Catholicus disputator. Nemo enim bene religioni deditus, aliud de Christo sentit, quàm de se voluit ipse sentiri. Mouit aliquando hanc sacrilegam quæstionem Samosatenus Paulus, cum sanctæ apud Antiochiam præsset Ecclesiæ: sed eum de Throno, cui feraliter præsidebat, Sacerdotum Catholicorum sententia vnita deiecit.

Cœlestinus itaque, & Cõstantinopolitanus Clerus fontem, & originem huius hæreseos detexerunt: sed Patres in quinta vniuersali Synodo riuum, ductumque, vel cloacã potius, vnde cœnosus, virulentusq; hic humor proximè defluxit, patefecerunt: nempe Theodorum Mopsuestenũ, qui Nestorij doctor, ac magister fuerat. Damnato enim Nestorio ab Oecumenica sancta Synodo Ephesina, eiusq; cõmentarijs, atque scripturis per vniuersum orbẽ, Imperatoris edicto exustis, sectatores illius, occultato eius nomine, pessimam eius doctrinam studuerunt instaurare. Theodori igitur Mopsuesteni, quem vt diximus, Nestorius doctorem impietatis suæ habuerat; auctoritatem ad pessimum eorum consilium perficiendum adhibent: nam eius fama satis celebris erat; ob studium, constantemq; laborem, quo hæreticos, ac præcipuè Apollinarium exagitauerat. Apollinarius quippe dixerat: Deum Verbum carnem tantum humanam absque rationali anima assumpsisse; diuinitatemq; rationalis animæ vi-

cem suppleuisse; ex quo confusionem diuinæ, & humanæ naturæ in Christo Domino nostro stultè, impieq; ponebat. Contra verò Theodorus sic vtramque naturam distinguebat, vt inter eas diuisionem poneret. Atque adeò erant Patres intenti ad manifestam Apollinarij impietatem repellendã, vt virus in scripturis Mopsuesteni latens, tunc non animaduerterint; præsertim cum ipse malitiosè ageret, & nefandum dogma suum callidè occultaret. Idq; facilè agnosci potest in verbis ipsius ex octauo libro Incarnationis, recitatis in quinta vniuersali Synodo, collatione sexta, videlicet: *Sicut & Dominus de viro, & muliere dicit, quòd iam non sunt duo, sed vna caro: dicamus & nos rationabiliter, secundum vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna; naturis scilicet discretis.* Et libro xj. similiter de Incarnatione, inquit: *Ad hæc itaque sufficiunt quidem, quæ diximus, vbi & naturarum differentiam ostendimus, & personæ vnitatem.* Quibus verbis quis non videt negatam esse personarum dualitatem, quam ipse Theodorus alijs in locis scelestè tenuisse deprehenditur in mysterio ineffabili dispensationis Dei Verbi: vt sapientissimè, atque luculentissimè Patres in eadem sancta Synodo quinta Vniuersali, verba superius allata expendentes, & cum Nestorij verbis componentes; demonstrauerunt? Mirum itaque non fuit, latuisse tunc sanctos Patres nequitiam Theodori, doctrinæ orthodoxæ specie, vt vidimus, fucatam; eo potissimum tempore quo manifestissima hæresis vigebat, huic è diametro cõtraria. Latuisset quoq; diutius, nisi Nestoriani præsidio Mopsuesteni tutari se curauissent. Nam, vt vidimus, longè aliter ab

initio

initio senserunt Patres de Nestoriana hæreseos origine; quæ ambigua semper fuit, donec eam sancta vniuersalis Synodus declarauit. Ceterũ, quia Imperator Iustinianus; cuius tempore celebrata fuit Constantinopoli Quinta vniuersalis Synodus; in epistola, qua sanctos Patres, qui ad Concilium conuenerant, hortatur ad remouenda grauissima scandala hac de causa exorta, amputandasq; omnes hæreses, atque contentiones ab Ecclesia Dei; vberius, & enucleatius cuncta narrat, quæ nos hactenus innuimus: ideò duximus epistolam illam, vt habetur initio Quintæ Synodi vniuersalis, fideliter describere.

EXEMPLVM EPISTOLÆ Iustiniani Imperatoris ad sanctos Patres Quintæ Vniuersalis sanctæ Synodi. Ex actis eiusdem sanctę Synodi collatione prima. Cap. X.

IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI IESV CHRISTI. Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vuandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, ac triumphator semper Augustus. Beatissimis Episcopis, & Patriarchis, Eutychio Constantinopolitano, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio, & Damiano religiosissimis Episcopis, vicem agentibus Eustochij viri beatissimi Archiepiscopi Hierosolymitani, & Patriarchæ, & reliquis religiosissimis Episcopis ex diuersis Prouincijs in hac regia Vrbe degentibus.

SEMPER *studium fuit Orthodoxis, & pijs Imperatoribus patribus nostris, pro tempore exortas hæreses, per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare; & recta Fide sincerè prædicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus piæ recordationis, Ario blasphemante, & dicente: Non esse Filium consubstantialem Deo Patri, sed creaturam, & ex non extantibus factum esse; congregauit Nicææ ex diuersis diœcesibus trecentos decem & octo sanctos Patres: & cum ipse etiam Concilio interfuisset, & adiuuisset eos, qui consubstantialem Filium Patri confessi sunt; condemnata Ariana impietate, studium habuit rectam Fidem obtinere. Expositoitaque sancto Symbolo, vel mathemate Fidei; per hoc sancti Patres confessi sunt: Consubstantialem esse Filium Deo Patri; quòd vsque tunc apud plurimos dubitabatur. Sed & Theodosius senior piæ recordationis, Macedonio negante Deitatem sancti Spiritus; & Apollinario, vel Magno eius discipulo, in dispensatione incarnati Dei Verbi blasphemantibus, & dicentibus: Sēsum humanum non recepisse Deum Verbum, sed carni vnitum esse, animam irrationalem habenti: congregatis in Regia Vrbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cum & ipse particeps fuisset Concilij; damnatis prædictis hæreticis, vnà cum impijs eorum dogmatibus; fecit rectam prædicare Fidem. Secuti enim ijdem sancti Patres expositam rectam Fidem à trecentis decem & octo sanctis Patribus, explanauerunt de Deitate sancti Spiritus, & perfectè de dispensatione incarnati Dei Verbi docuerunt. Iterum Nestorio impio alium dicente Deum Verbum, & alium Christum: & hunc quidem natura Filium Dei Patris, illum autem gratia Filium impiè introducente,*

cente; & sanctam gloriosam semper Virginem, Dei genitricem esse negante; cum penè omnes Orientales partes sua impietate adimplesset idem Nestorius; Theodosius iunior piæ recordationis congregauit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Cœlestinus, & Cyrillus sancti Patres: & directis Iudicibus, qui deberent Concilio interesse, compulit & ipsum Nestorium ibi peruenire, & iudicium propter eum procedere: & tali examinatione facta; secuti ijdem sancti Patres per omnia, ea quæ de Fide definita sunt ab anterioribus sanctis Patribus; condemnauerunt Nestorium, vnà cum eius impietate. His itaque subsecutis, cum insurrexissent contra Cyrillum sequaces Nestorij impij; festinauerunt, quantum in ipsis fuit, refutare condemnationem contra Nestorium factam: sed prædictus piæ recordationis Theodosius, vindicans ea, quæ ita rectè contra Nestorium, & eius impietatem fuerunt iudicata; fecit firmiter obtinere contra eum factam condemnationem. Et post hæc iterum, cum Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem nobis esse carnem Domini; multis interea motis tàm Constantinopoli, quàm Ephesi: tanta pro illo facta est hæreticorum circumuentio, vt etiam ejiceretur propter eum Flauianus religiosæ memoriæ regiæ Vrbis Episcopus. Piæ autem recordationis Marcianus congregauit Chalcedone sanctos Patres; & magna contentione inter Episcopos facta, non solum per suos Iudices, sed etiam per seipsum in Concilium peruenit, & ad concordiam omnes perduxit. Qui sancti Patres in omnibus secuti ea, quæ pro Fide definita sunt à prædictis tribus sanctis Concilijs; & quæ iudicata sunt de hæreticorum damnatione, & impietate eorum: damnauerunt & anathematizauerunt Eutychem dementem,

& impia eius dogmata: necnon & Nestorium cũ impijs eorum dogmatibus, quoniam tunc festinauerunt quidam defendere Nestorium, & impia eius dogmata. Super hæc autem ijdem in Chalcedone sancti Patres anathematizauerunt eos, qui aliud Symbolum tradiderunt, aut tradunt, præter hoc, quod expositum est à trecentis decem & octo sanctis Patribus, & explanatum à centum quinquaginta sanctis Patribus. His itaque omnibus per diuersa tempora subsecutis; prædicti piæ recordationis nostri Patres, ea quæ in vnoquoque Concilio iudicata sunt; legibus suis corroborauerunt, & confirmauerunt: & hæreticos, qui definitionibus prædictorum sanctorum quatuor Conciliorum resistere, & Ecclesias conturbare conati sunt; expulerunt. Defuncto autem Marciano diuæ recordationis, cum contentio esset per diuersa loca de Chalcedonensi sancto Concilio; Leo piæ recordationis ad omnes vbique Sacerdotes scripsit, vt vnusquisque eorum propriam sententiam manifestaret de eodem sancto Concilio: & cum alius alium Episcopum non expectasset, ad hoc quod interrogati sunt, responderunt. Exiguo autem tempore transacto, iterum insurrexerunt Nestorij, & Eutychis sequaces, & tantas turbas in sanctis Dei Ecclesiis fecerunt, vt diuisiones, & schismata in eis fierent, & nullam communionem ad se inuicem Ecclesiæ haberent. Nec enim præsumebat aliquis de Ciuitate in aliam Ciuitatem veniens communicare; nec Clericus ex alia Ciuitate in aliam Ciuitatem veniens, in Ecclesiam procedere. Cum autem secundùm misericordiam suam Dominus Deus Reipublicæ gubernationem nobis credidit; initium, & fundamentum nostri Imperij fecimus, coniungere diuisos Sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum ab Oriente vsque ad Occidentem: &

omnem contentionem amputantes, quæ contra Chalcedonensem sanctam Synodum ab Eutychis, & Nestorij impiorum sequacibus mouebatur; fecimus prædicare eandem sanctam Synodum, cum prædictis alijs sanctis tribus Concilijs, in Dei Ecclesiis: certè scientes, quòd ea, quæ ab ea de Fide exposita sunt, consonant per omnia alijs tribus sanctis Concilijs: & multis quidem ad eandem sanctam Synodum contradicentibus, satisfecimus: alios autem, qui perseuerauerunt, eidem sancto Concilio contradicentes; expulimus sic à sanctis Dei Ecclesiis, & venerabilibus Monasterijs, vt concordia, & pace sanctarum Ecclesiarum, & eorum Sacerdotum firmiter custodita; vna, & eadem Fides, quam sanctæ quatuor Synodi confessæ sunt; in sanctis Dei Ecclesiis prædicetur. His itaque pro firmitate sanctarum quatuor Synodorum, Deo propitio, per nos factis, & obtinentibus in sancta Dei Ecclesia; Nestorij sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctæ Dei Ecclesiæ, & non potentes hoc per Nestorium facere; festinauerunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum doctorem Nestorij: qui multo peiora Nestorio blasphemauit, & super alias innumerabiles suas blasphemias contra Christum Deum nostrum factas; alium dixit Deum Verbum, alium Christum: necnon & per impia conscripta Theodoreti, quæ contra rectam Fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum, & duodecim eius capitula exposuit: & insuper sceleratam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ plena est omni impietate Theodori Mopsuesteni, & Nestorij. Per hanc etenim impiam epistolam, non solum impietatem, sed etiam ipsas personas Theodori, & Nestorij, quas maximè

lau-

laudat, & iudicat eadem impia epistola; festinauerunt condemnatione liberare: dicentes, eam susceptam esse à sancta Chalcedonensi Synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctæ Synodi; sed nomine eius, sicut putant, suam impietatem confirmare festinantes. Certum autem est, quòd impia intentio est ista vindicantium, vt si eis euenerit, non prædicetur Deus Verbum homo factus esse; nec sancta gloriosa semper Virgo Maria, Dei Genitrix prædicetur. Hæc enim Theodorus, & Nestorius in suis conscriptis impiè exposuerunt; & qui epistolam scripsit, in ea blasphemat. Nos igitur sequentes sanctos Patres, & volentes rectam Fidem sine aliqua macula in Dei Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare; primum quidem, & in vestris vos degentes Ecclesiis, interrogauimus de prædictis impijs tribus capitulis; & vestram nobis voluntatem fecistis manifestam: pro qua & comprobauimus vos, quòd indubitanter, & cum omni alacritate rectam Fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam verò, & post condemnationem à vobis factam; in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria Capitula vindicantes; ideò vocauimus vos ad Regiam Vrbem; hortantes, communiter conuenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestare. Et Vigilio enim religiosissimo Papæ antiquioris Romæ, cum peruenisset ad hanc Regiam Ciuitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestauimus; & interrogauimus eum, quid sapit de hoc: & ipse non semel, nec bis, sed etiam sæpius in scriptis, & sine scriptis anathematizauit impia tria Capitula. Quòd verò eiusdem voluntatis semper fuit de condemnatione trium Capitulorum, & per plurima alia declarauit, & per condemnationem Rustici, & Sebastiani

ali-

aliquando Diaconorum antiquioris Romæ : qui cum primum suscepissent factum ab eo iudicatum, in quo anathematizauit eadem impia capitula ; postea susceperunt, & defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano Episcopo Scythiæ, & Aureliano Arelati, quæ est prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum ; scripsit, & manifestauit de condemnatione istorum capitulorum : & præcepit eis nihil suscipere, quod à condemnatis Diaconis scribitur contrarium prædicto iudicato: & compendiosè dicere semper in eadem voluntate perseuerauit. Et hæc omnia per suum tempus vobis manifesta faciemus. Quomodo verò postea, cum peruenissetis, sicut dictum est, ad hanc Regiam Ciuitatem, scripta facta sunt ad inuicem à vestra Sanctitate, & à Vigilio religiosissimo Papa antiquioris Romæ, vt omnes vos vniti conueniatis; & propter illos, qui, siue ex ignorantia, siue scientia, impietatem Capitulorum defendunt ; congruum iudicium eis, quæ à sanctis quatuor Synodis pro Fide definita sunt, proferatis; mandauimus illi etiam per nostros Iudices, & per quosdam ex vobis, vt vna cum omnibus conueniret, & communiter disceptaret de prædictis capitulis ; vt forma daretur rectæ Fidei conueniens : & quòd ipsum, & vestram Sanctitatem in scriptis interrogauimus de hoc, vt aut tanquam impia capitula ab omnibus condemnarentur; aut si putat recta esse, apertè suam manifestaret voluntatem. Alienum enim est Christianorum, cum recta Fide impia suscipere, & non à malis recta discernere. Ille verò nobis mandauit, quòd de prædictis tribus capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis. Adhortamur igitur vos de his disceptare. Scire etenim vos volumus, quòd nos ea, quæ à sanctis quatuor Concilijs, Nicæno, Constantinopolitano, Ephe-

sino

sino primo, & Chalcedonensi, de vna, eademq; Fide exposita, & definita sunt; & de Ecclesiastico statu regulariter disposita, seruamus, & defendimus, & ea sequimur: & omnia, quæ consonant istis, suscipimus, & amplectimur. Quicquid autem non consonat istis, vel à quacunque persona scriptum inueniatur contra ea, quæ de vna, eademq; Fide à sanctis quatuor Concilijs, vel vno ex his definita sunt; hoc tanquam alienum omnino pietatis execramur. Sequimur autem, & in omnibus sanctos Patres, & Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssænum, Ambrosium, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem: & omnia quæ ab his de Fide recta, & ad condemnationem hæreticorum conscripta, & exposita sunt; suscipimus. In prædictis igitur omnibus permanentes, illos Patres, & Sacerdotes suscipimus, qui ea, quæ à sanctis quatuor Concilijs de Fide exposita sunt, & à prædictis sanctis Patribus prædicata sunt; seruant, & prædicant in sancta Dei Ecclesia. Quando verò hæretici per omnia Theodorum, & Nestorium, & eorum impietatem vindicare volentes, sicut prædictum est; & susceptam esse dicunt à sancto Chalcedonensi Concilio impiam epistolam, quæ ad Marim Persam ab Iba scripta esse dicitur: hortamur vos considerare ea, quæ à Theodoro impiè tàm in alijs scripta sunt, quàm in Iudaico Symbolo: quod & Ephesi, & Chalcedone prolatum, anathematizatum est ab vtraque Synodo cum his, qui ita sapuerunt, vel sapiunt: considerare autem & quæ de ipso, & eius blasphemijs sancti Patres conscripserunt, & antecessores nostri promulgauerunt: necnon ea, quæ Ecclesiasticarum historiarum scriptores

res de eo exposuerunt. Ex his etenim omnibus cognoscetis, quòd ab illo tempore condemnatus est, tàm ipse, quàm blasphemiæ eius à sanctis Patribus; & quòd propter istas superioribus temporibus deletum est, & nomen eius à sacris diptychis Ecclesiæ, cuius fuit Episcopus. Hortamur etiam & illud disceptare, quod vanè profertur ab eis, qui dicunt, non oportere post mortem hæreticos anathematizari: & sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum hæreticos viuentes condemnauerunt; sed & post mortem, vtpotè in sua impietate mortuos; anathematizauerunt: sicuti eos, qui iniustè condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt. Quod factum est, & in Ioanne, & in Flauiano religiosæ memoriæ, Episcopis Constantinopolitanis. Scit enim vestra reuerentia, quòd positum est à Domino in Euangelio de ipso: Quòd qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit in eum, iam iudicatus est, quòd non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Manifestum autem est, quòd hoc non tantùm de viuis, sed etiam de his dictum est, qui in sua impietate mortui sunt. Insuper autem hortamur vos inspicere, & quæ impiè scripta sunt à Theodoreto contra rectam Fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum; & contra sanctæ memoriæ Cyrillum; & contra duodecim eius capitula: & quæ impiè idem Theodoretus conscripsit pro Theodoro & Nestorio, & blasphemijs eorum contra sanctæ memoriæ Cyrillum. Examinare autem & de impia epistola, quæ dicitur ab Iba ad Marim Persam scripta esse: in qua scriptor eius abnegat, Deum Verbum hominem factum esse; & sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, Dei Genitricem esse. Condemnat autem eadem impia epistola, & Ephesinam sanctam primam Synodum, tan-

quam

quam sine iudicio, & quæstione Nestorio condemnato: & sanctæ quidem memoriæ Cyrillum Ecclesiæ doctorem, hæreticum vocat; & impia dicit duodecim eius capitula: Theodorum autem, & Nestorium, & eorum impietatem defendit, & laudat. Et quoniam, sicut dictum est, præsumunt quidam dicere, & epistolam, quæ prædictam impietatem continet, susceptam esse à Chalcedonensi sancto Concilio; hortamur vos conferre ea, quæ dicta sunt ab eodem sancto Concilio in definitione pro Fide exposita, cum his, quæ in impia epistola continentur; vt vndique recta quidem confirmentur, impia autem condemnentur. Omnia igitur prædicta cum omni subtilitate disceptantes, sicut Sacerdotes decet; in mente habentes Dei timorem, & futurum iudicium; & nihil pietati, & rectæ Fidei & veritati, & Dei gloriæ, & honori præponentes: in mente autem habentes, & Apostolicam pronuntiationem, quæ contra eos, qui contraria rectæ Fidei tradunt; prolata est: manifestè dicentem: Quòd licet nos, vel Angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præter quam quod euangelizauimus vobis: anathema sit. Sicut prædiximus, & modò iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præter quàm accepistis: anathema sit. Scientes & Petri Apostoli præceptum, dicentis: Parati semper estote ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe, quæ in vobis est; celeriter de his, quæ interrogauimus, vestram manifestate voluntatem. Cum enim qui de recta Fide interrogatur, diu protrahit, nihil aliud est, nisi abnegatio rectæ confessionis. In interrogationibus enim, & responsis, quæ de Fide sunt, non est primus, nec secundus; sed qui in recta confessione paratior inuenitur, acceptabilis apud Deum est. Diuinitas vos seruet per multos annos, sancti, ac religiosissimi

Pa-

Patres. Datum quarto Nonas Maias Constantinopoli, Imperij Domini Iustiniani perpetui Augusti anno xxvij. *post Consulatum Basilij viri clarissimi anno* xij.

EX BLASPHEMIIS THEODORI Mopsuesteni, quod de origine Nestorianæ hæresis dictum est, confirmatur. Cap. XI.

LECTA igitur hac epistola, quę in actis Concilij, quoniam Imperator formam in ipsa præscripserat, qua gratissimum hoc negotium cupiebat agi; Forma appellatur; Sancti Patres decreuerunt, vt singillatim vnumquodque trium capitulorum examinaretur. A recognitione itaque errorum, atque blasphemiarum Theodori Mopsuesteni cœptum est. Quod factũ fuit collatione, siue conuentu Patrũ, hoc est actione Concilij quarta. Recensita autem fuerunt septuaginta & vnũ loca, ex diuersis tractationibus, commentarijs, & expositionibus Theodori; ac eius quoque sceleratum symbolum recitatum. Nos è tam multis nonnulla hìc describenda duximus: ex quibus apparere satis apertè poterit, quàm verè dictum sit in epistola superius descripta: Nestorium à Theodoro pessimam suam doctrinam accepisse; ipsumq; Theodorum multo peiora Nestorio blasphemasse. Primus igitur locus ex relectis in Concilio, desumptus ex 3. libro Theodori contra impiũ Apollinarium, habetur his verbis: *Quo módo igitur tu, quem super omnes maximè decet mentium regimen;*

gimen; illum qui ex Virgine natus est, Deū esse, & ex Deo consubstantialem Patri existimari dicis; nisi fortè sancto Spiritui imputare illius creationem nos iubes? Sed quis est Deus ex Deo, & consubstantialis Patri? is idem, qui ex Virgine natus erat; (ò mirandum) & qui per Spiritum sanctum, secundum diuinas Scripturas, plasmatus est, & confictionem in muliebri accepit ventre? Inerat forsitan, quia mox quidem plasmatus est, & vt templū Dei esset, accepit. Non tamen existimandū nobis est, Deum de Virgine natum esse: nisi fortè existimandū idem nobis est, & quòd natum est, & quòd est in nato templo; & qui in templo est, Deus Verbum: non tamen nec secundum tuam vocem pronuntiandum est, omnino ex Virgine Deum natum esse, & ex Deo consubstantialem Patri. Nam si non homo est, sicut dicis, assumptus, qui natus est ex Virgine; Deus verò incarnatus: quomodo qui natus est, Deus ex Deo, & consubstantialis dicetur Patri; carne non potente hanc vocem suscipere? Nam est quidem dementia, Deum ex Virgine natum esse dicere. Hoc enim nihil aliud est, quàm ex semine eum dicere Dauid, de substantia Virginis genitum; & in ipsa plasmatum: quia quod ex semine Dauid, & de substantia Virginis est; in materno ventre constitit: & sancti Spiritus plasmatum virtute, natum fuisse dicimus de Virgine. Vt autem aliquis ex hoc concedat dicere ipsis, quòd Deus ex Deo, & consubstantialis Patri, natus est ex Virgine, eo quòd est in templo nato; sed non per se natus est Deus Verbum; incarnatus verò, sicut dicit iste sapiens. Si igitur cum carne eum natum esse dicunt; quod autem natum est, Deus ex Deo, & consubstantialis Patri est; necesse est hoc, & carnem dicere: Quòd si non idcirco caro est, quoniam nec Deus ex Deo, nec

consubstantialis Patri, sed ex semine Dauid, & consubstantialis ei, cuius semen est; & non id, quod natum est ex Virgine, Deus est ex Deo, & consubstantialis Patri: nisi forte pars nati, prout ipse in infirioribus partem Christi nominat Deitatem: sed non diuina natura ex Virgine nata est. Natus autem est ex Virgine, qui ex substantia Virginis constat; non Deus Verbum, ex Maria natus est. Natus autem est ex Maria, qui ex semine est Dauid; non Deus Verbum ex muliere natus est; sed natus ex muliere, qui virtute Spiritus sancti plasmatus est in ea. Non ex matre natus, & consubstantialis Patri: sine matre enim est, secundum beati Pauli vocem; sed qui in posterioribus temporibus, in materno ventre, sancti Spiritus virtute plasmatus est, vtpote sine Patre propterea dictus. Hæc Theodorus; ex quibus Nestorius didicisse potuit nefandam distinctionem, immò blasphemam diuisionem templi, & Dei templum inhabitantis, à Mopsuesteno excogitatam. Sic quoque ex his, quæ modò subijciemus, secundo, tertio, ac sexto loco in Concilio lectis; videbimus accepisse ab eodem doctore, ac magistro impietatis suæ: Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam purum hominem, diuinæ gratiæ beneficio (verumtamen modo præstantissimo, vtpote ex coniunctione inseparabili inhabitantis in se Dei Verbi;) paulatim ad virtutem profeciſſe; & sic redemptionis nostræ mysterium adimpleuisse: passione videlicet, morte, resurrectione, & ad cœlum ascensione sua. Pari quoque pacto meruisse coadorationem cum Deo Verbo, ex eius coniunctione. Quæ omnia postmodum Nestorius à

Theodoro mutuatus, impiè delirauit. Sed subijciamus verba Theodori ex eodem libro, paulò post illa, quæ superius descripta sunt. *Mox autem in ipso plasmato, Deus Verbum factus est: nec enim in cœlum ascendenti solum inerat, sed etiam ex mortuis resurgenti; vtpote & resuscitans eum secundum suam promissionem. Nec resurgenti ex mortuis solum inerat, sed etiã crucifixo, & baptizato, & euangelicam post baptisma conuersationem peragenti; necnon etiam ante baptisma legalem adimplenti constitutionem; & præsentato secundum legem, & circumciso, & partus pannis obuoluto. Erat autem fortè in ipso, & nascente, & cum in materno vtero esset, à prima statim plasmatione. Dispensationi enim, quæ circa eum erat, ordinem imponebat; vtpote, & particulatim ipsum ad perfectionem perducens.* Et post alia ex eodem libro tertio contra Apollinarium. *Et per tempus quidem ad baptisma ducens, post illud autem ad mortem: deinde secundum suam pronuntiationem, resuscitans, ducens in cœlum, collocans eum ad dexteram Dei per suam coniunctionem; ex qua sedet, & adoratur ab omnibus, & omnes iudicabit. Istorum autem omnium finem apud se habebat Deus Verbum, cum in eo erat, & omnia per ordinem complebat: quem ordinem ipse arbitrabatur bene habere, præfinitione quidem, & voluntate, quam antea statuit pro his, quæ euentura erant; & bona voluntate, quam circa eum habebat, ab initio similiter inerat ei: per ordinem autem sibi placitum ad perfectionem ducebat ipsum.* Et post multa in eodem libro, inquit impius iste: *Quod enim dictum est, Ducebatur à spiritu, apertè hoc significat, quòd ab eo regebatur; ab eo ad virtutem propositorum confortaba-*

tabatur; ab eo ad hæc quæ oportebat, ducebatur; ab eo, quod decebat, docebatur; ab eo cogitationibus corroborabatur, vt ad tantum certamen sufficeret: sicut & beatus Paulus dicit: Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: duci Spiritu dicens illos, qui ab eo gubernantur, ab eo docentur, ab eo ad melius constituuntur, ab eo competentium doctrinam accipiunt. Cum dixisset autem Euangelista, quòd Spiritu sancto plenus regressus est à Iordane; apertè demonstrauit, quod huius causa Spiritus sancti habitationem in baptismate susceperit; vt inde propositam caperet virtutem. Vnde & ad certamen illud, quod pro nobis erat ad Diabolum effecturus; Spiritu ducebatur. Patere abundè credimus ex his, quod ab initio dictum est: Theodorum Nestorij doctorem fuisse. Quòd autem peiora Nestorio blasphemauerit; ex relectis in Concilio blasphemijs suis, ostendamus: Affirmauit impius, ac nefarius iste; quod non sine maximo animi horrore Christianæ aures audire possunt: Redemptorem nostrum, agnum Dei immaculatum, tẽtationibus corporalium libidinum, atque passionum obnoxium fuisse: quas tamen faciliùs vincebat, quàm ceteras animi passiones. Execranda eius verba, quæ nonnisi magna necessitate compulsi, maiori tamen cordis nostri dolore, hìc describimus; hæc sunt, ex libro de Incarnatione: *Plus inquietabatur Dominus, & certamen habebat ad animæ passiones, quàm corporis: & meliore animo libidines vincebat, mediante Deitate, ad perfectionem. Vnde & Dominus ad hæc maximè instituens videtur certamen. Cupiditate enim pecuniarum non deceptus, & gloriæ desiderio non tentus; carni quidem præbuit nihil: nec enim illius erat*

talibus vinci. Et paulò post: *Et maius certamen instituit ad animæ passiones, minus autem ad carnis: quanto & amplius, & magis inquietare illas contingebat; & magis illa erat, quæ & amplioris indigebat medicinæ; videlicet, quòd & carnem, & animam assumens, per vtrasque pro vtrisque certabat: mortificans quidem in carne peccatum, & mansuetans eius libidines, & facilè capiendas meliori ratione animæ faciens: erudiens autem animam, & exercitans & suas passiones vincere, & carnis refrænare libidines. Hæc enim Deitas inhabitans operabatur: hæc inhabitans medebatur vtrique eorum.* His igitur inauditis blasphemijs Maiestatem Dei Verbi incarnati, iste teterrimus hostis mysterij ineffabilis nostræ salutis, lædebat. Sed eius gloriæ inuidens, etiam quod ipsa Veritas de seipsa testata est; nempe, cuncta quæ euentura erant de eius incarnatione, nostraq; redemptione, à Spiritu sancto prædicta in Scripturis sanctis antea fuisse; impudentissimè negauit. In principio enim commenti, quod in duodecim Prophetas scripsit, abnegans prophetias de Christo esse prædictas; ita loquitur: *Sed non volentes ista considerare, voces omnes trahere ad Dominum tentant Christum: vt & quæ de populo facta sunt, simili modo intelligerent; & risum præstarent Iudæis: quando, ex scriptorum sequentia, nihil ad Dominum Christum pertinentes ostendunt voces.* Et post alia infert: *Tale est: Et quòd non derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Nam propheta quidem supra modum ipsam ponit circa populum prouidentiam; volens dicere, quoniam inextentabiles eos ab omnibus conseruauit malis. Quoniam autem hoc verum, & ex ipsis rebus euentum accepit*

pit in Domino Christo: frequentissimè de eo loquens beatus Petrus vtitur Prophetæ voce: ostendens, quod de populo supra modum dictum est; hoc verum euentum in ipsis rebus accepit nunc in Domino Christo. Et post alia infert: *Eundem intellectum habet & illud: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem. Quòd enim psalmus nullatenus conuenit Domino, certu est. Neque enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; dicere: Longe à salute mea verba delictorum meorum. Sed & ipse Dominus, dum secundum communem hominum legem, in passione opprimeretur: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti; emisit vocem. Et Apostoli: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem; ad eum traxerunt manifestè: quoniam, quod supra modum dictum fuerat prius à Dauid, propter illata ei mala; hoc ex operibus euenit in Domino Christo; cuius & vestimenta diuiserunt, & sorti tunicam subiecerunt.* Nec desunt sanè alia loca, quibus eamdem blasphemiam iterauit Theodorus: quæ similiter recitata in Concilio fuerunt. Immò verò sanctis ipsis Scripturis fidem abrogare pluribus in locis conatur: præcipuè verò librum Iob, & Canticum Canticorum Salomonis reprobat. De quibus hæc scripsit, vt habetur ex cathalogo blasphemiarum eius, in actis Concilij. Asserit enim de libro Iob: non ab ipso Iob scriptum fuisse, sed ab alio; qui cupiditate vanæ gloriæ scribere viri Sancti vitam aggressus, multa importunè de paganicis fabulis in ea inseruerit. Inquit autem: *Erat igitur satis idoneum, superuacua quidem omnia verba auferre Scripturæ; quæ autem ad significationem vitæ eius ne-*

cessaria erant; exponere: quæ omnia sufficiebant quemlibet ad meliora conuertere, & æmulatorem facere boni. Nunc verò cum hoc non feciſſet; ad vani honoris amorem non neceſſarium reſpiciens; non in minimis exiſtimationi iuſti nocuit apud eos, qui diuinas Scripturas non cum debita deuotione iudicare ſolent. Et ex hoc multos fecit ſcripta inculpare, & ad accuſationē ea trahere beati Iob. Et poſt alia, vt magis oſtenderet figmentum, atque fabulam eſſe ſcriptionem illam; ſubſequitur: *Ipſa ſtatim verba, ex quibus incipere eum dicit conſcriptor, cum peruenisſent amici; quis conſideranter omnia videns, putet, aut dicat, iuſti vnquam menti conuenire? Maledicta enim tam multa colligere ſtatim ab initio; & rebus ea imponere, quæ maledictum ſuſcipere non poſſunt; quia nec ſubſiſtere creduntur: quis exiſtimet ei conuenire, qui cum tanta ſapientia, & virtute, & reuerentia ſuam vitam gubernaſſet?* Et per omnia reprobans ſcripturam Iob, & conſcriptori (ideſt Spiritui ſancto) maledicens; in fine interpretationis blaſphemiæ ſuæ, ita dicit: *Paruum autem eſt iſtud flagitium ad hoc, quod in fine poſitum eſt. Hoc enim quod dixit, tertiam filiam ſuam Amalthea cornu eum vocaſſe; nihil aliud eſt, quàm oſtendere cum paganicis fabulis aſſentientem, & idololatriæ figmenta diligentem: certo quidem conſtituto, quòd nec ſcire quidem de Ioue, de Saturno, & Iunone paganicas fabulas poterat Iob beatus, homo barbarus, & Edomitanus genere. Quòd ſi & ſciret, ſed non filiæ ſuæ mirabiliter diuinitus natæ, ex idololatriæ paganicis fabulis nomen imponeret; decorare eam exiſtimans, ſi ita nominata fuiſſet.* Hæc de his, quæ in Iob Theodorus impiè blaſphemauit. Quamplura etiam in Concilio, eiuſdem in-

eodem

eodem genere lecta fuerunt. Sed transeamus ad eius nefarium iudicium de Canticis Canticorum. Est enim, vt ex his verbis apparebit: *Cum me piguisset Cantica Canticorum perlegere, quoniam neque secundum propheticam speciem exposita sunt; neque secundum historiarum traditionem, sicut Scriptura Regum; neque demonstratiua admonitione studij vtuntur: nescio quomodo tuarum literarum præceptum, de Cantico Canticorum exigens à nobis irrecusabiliter causam: fecit me circa eam diligentiorem: violenter quidem. Et sic nec enim cessaui, & initio ipso lectionis quasi studiosa alacritate oscitans frequenter, & dormitans, sicut conuiuio codicis nuptiali, & hoc regali, percantatus.* Et post pauca subdit: *Sed sic per sapientiam, Gentibus, & Iudæis prædicabilem, & terribilem existentem, vt solertem. Vnde & pax ei firmior, quàm in anterioribus temporibus, erat; timore summæ circa ea prudentiæ, frenatis gentibus bella amantibus. Aegyptiacum conuiuium facit Salomonem apud Iudæos vitiosum, tanquam legum paternarum præuaricatorem; abdicantium alienigenas nuptias. Et ad puellæ conuiuium cecidit; fugiendæ quidem etiam ipso patrio deformi colore: (nocturnorum enim colorum Aegyptus genitrix) magis verò fugiendæ, quoniam genus habebat ex Cham, qui hæres fuit antiquæ maledictionis Noe; ex quibus passus est aliquid Salomon circa coniugis desiderium: & opprobrio præuaricationis irritatus, componit Canticam excusationem, vt gratior etiam vxori sit, Canticis delectatus pro ea factis: & improperantes sapienter percussit, tanquam conscripti causam illi dantes lætitiarum, & non pœnitentiæ, propter nuptias tanquam prauas. Vnde ab osculis nuptialibus statim ei & initium est, tanquam sistenti nouam*

nuptam reclamantem vituperantibus: Osculetur me sponsus ab osculis eris eius: & vestrum mihi cura nulla opprobrium latrantium. Et quæ sequuntur.

Iam verò cuique satis abundè patere potest, quomodo de sacra Scriptura impius Theodorus sentiret, qui talia, vt vidimus scripsisset: quæ tametsi ad disputationem nostram non pertineant; voluimus nihilominus in medium afferre: cum, & peiora ipsum blasphemasse, vt sancti Patres dixerunt, appareret; tum, vt vnusquisque dignoscere posset, quàm vitanda sint cuncta, à nefando, pessimoq; hoc auctore conscripta. Sed adhuc euidentius constabit, quod dicimus, ex scelerato eius symbolo, ex actis eiusdem quintæ vniuersalis sanctæ Synodi inferius descripto.

SCELERATVM SYMBOLVM impij Theodori. Cap. XII.

EOS, *qui nunc primum eruditur Ecclesiasticorum dogmatum subtilitatem; seu ab aliquo hæretico errore transire volunt ad veritatem; doceri oportet, & confiteri, quòd Credimus in vnum Deum Patrem sempiternum, qui non postea cœpit esse, sed supra constitutum sempiternum: sed neque postremò factum Patrem, quia semper & Deus erat, & Pater. Credimus autem, & in vnum Filium Dei vnigenitum, qui est de substantia Patris, vt verè Filium, qui & eiusdem substantiæ est, cuius & est, & creditur Filius. Et in Spiritum sanctum, qui ex Dei substantia est: qui non Filius. Deus autem est secundum substantiam: quia illius est substantiæ, cuius.*

ius est Deus, & Pater: ex quo secundum substantiam est. Nos enim, inquit, non spiritum huius mundi accepimus; sed Spiritū, qui ex Deo est: à creatura quidē ipsum segregans omni; Deo autem coniungens, ex quo secundum substantiam est: propria autem ratione præter omnem creaturam, quam non secundum substantiam, sed causa opificationis; ex Deo esse putamus: & neque Filium putantes, neque per Filium essentiam accipientem. Confitemur autem Patrem vnam, perfectum persona; & Filium similiter, & Spiritum sanctum eodem modo. Salua autem ratione pietatis nobis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non tres aliquas substantias diuersas putare; sed vnam eandemq; naturam Deitatis cognoscentes. Oportet autem & de dispensatione, quam pro nostra salute in ea dispensatione, quæ est circa Dominum Christum; Dominus effecit Deus; scire, quòd Deus verum hominem assumpsit, perfectum, à semine constitutum Abrahæ, & Dauid, secundum declarationem scripturarum diuinarum; hoc constitutum natura, quod erant illi, quorum de semine erat: hominem perfectum secundum naturam, & ex anima intellectuali, & carne consistentem humana. Quem hominem constitutum secundum nostram naturam, Spiritus sancti virtute in Virgine factum, & natum ex muliere, & factum sub lege, vt omnes nos redimeret à legis seruitute; quam longè ante statuit, adoptionem recipientes; ineffabiliter coniunxit sibi. Qui mortem quidem eum secundum legem hominum sustinere fecit: resuscitauit autem ex mortuis, & eduxit in cœlum, & sedere fecit in dextera Dei: vnde super omnem constitutus Principatum, & Potestatem, & Dominationem, & Virtutem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed

etiam

etiam in futuro; ab omni creatura suscipit ueneratione, ut inseparabilem ad diuinam naturam habens coniunctionem, relatione Dei, & intellectu: omni ei creatura ueneratione attribuente. Et neque duos dicimus Filios, neque duos Dominos; quoniam unus Filius secundum substantiam, Deus Verbum, unigenitus Filius Patri, cui iste coniunctus, & particeps, communionem habet Filij nomine, & honoris: & Dominus secundum substantiam Deus Verbum, cui coniunctus iste communionem habet honoris. Et ideò nec duos dicimus Filios, nec duos Dominos: quoniam certo constituto, secundum naturam, Domino & Filio; inseparabilem habens ad eum coniunctionem, qui pro nostra assumptus est salute; cum illo honorem, & nominationem Filij & Domini habet: non tamquam nostrum unusquisque per seipsum subsistens filius (unde, & Filij multi secundum beatum dicimur Paulum;) sed solus præcipuum habens hoc, ut in coniunctione ad Deum Verbum, tam filiationis, quàm dominationis particeps sit: amputans omnem intellectum dualitatis filiorum, & dominorum. Præbet autem nobis in coniunctione ad Deum Verbum, omnem habere eius, & Fidem, & intellectũ, & uisionem: pro quibus & ueneratione, relatione Dei, ab omni suscipit creatura. Vnum ergo Filium dicimus, & Dominum Iesum Christum, per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes: qui secundum substantiam, & Filius Dei, & Dominus est. Deinde simul mente accipientes sumptum Iesum, qui est de Nazareth, quem unxit Deus spiritu, & uirtute; ut coniunctione ad Deum Verbum, filiationis, & dominationis participem constitutum: qui secundus Adam à beato uocatur Paulo; eiusdem quidem naturæ constitutus Adam; & ostendens

dens nobis futurum statum; & tantam habens ad illum differentiam, quanta fiet eius, qui ineffabilia præbet futuri status bona, ad eum, qui præsentium tristium dedit initium. Simili autem modo, & secundus homo vocatur, vt statum secũdum manifestans: quia prioris quidem initium dedit Adam, mortalis, & passibilis, & multorum pleni dolorum; in quo & demonstrauit ad eum habere similitudinem: secundum autem ostendit Dominus Christus. Iste de cælis in futurum visus, omnes nos in communionem educet suam. Nam primus, dicit, homo de terra terrenus: secundus, homo Dominus de cælo: idest inde in futuro apparituras, vt omnes ad imitationem adducat sui. Vnde addit: Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius, qui de cælo est. In eo apparente, & eum omnibus videntibus, qui iudicandi sunt; in occulto constituta diuina natura, faciet iudicium. Tempora enim ignorantiæ nostræ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant: quoniam statuit diem, quo iudicet de orbe terrarum in æquitate; in viro, cui constituit fidem præstare, suscitans eum de mortuis. Ista est Ecclesiasticorum dogmatum doctrina: & omnis qui contraria ei sapit: anathema sit. Hactenus sceleratum symbolum impij Theodori. Quod quanta cum indignatione sanctæ Synodi auditum fuerit, declarant hæc verba, ex synodalibus actis descripta; videlicet:

Et postquam lectæ sunt blasphemiæ Theodori Mopsuesteni, & impium eius symbolum: SANCTA SYNODVS exclamauit: HOC symbolum Satanas composuit. Anathema ei, qui hoc symbolum composuit. Hoc symbolum Ephesi-

na

na prima Synodus, vna cum auctore eius anathematizauit. Vnum tantummodo Fidei Symbolum scimus, quod Nicæni sancti Patres exposuerunt, & tradiderunt. Hoc & sanctæ tres Synodi tradiderunt: in hoc omnes baptizati sumus: & nos in hoc baptizamus. Anathema Theodoro Mopsuesteno. Iste Euangelia reprobauit, iste dispensationem iniuriauit. Anathema illis, qui non anathematizant illum. Defensores eius, Iudæi sunt: sequaces eius, pagani sunt.

DETECTA ORIGINE Nestorianæ hæreseos, fomenta illius patefiunt. Cap. XIII.

HACTENVS ex blasphemijs Theodori superiùs descriptis; & ex ipsius scelerato symbolo, cuiq; manifestum esse abundè credimus; quod ab initio ostendendum proposuimus: Nestorium nempè impietatis suæ doctrinam à Theodoro Mopsuesteno accepisse. Sed quoniam nostra hæc disputatio ad eradicationem Nestorianæ hæresis ex animis dilectissimorum fratrum Chaldęorum, instituta est; cum eius originem iam detexerimus, nunc ipsius fomenta ostendere, ex eiusdem sanctæ vniuersalis quintæ Synodi auctoritate; aggrediamur. Hæc autem sunt reliqua duo capitula, eidem sanctæ Synodo à Iustiniano Imperatore, vt examinarentur, proposita: scripta videlicet Theodoreti Episcopi Cyri aduersus duodecim Anathematismos sanctissimi Cyrilli; cæteraq; ab eodem Theodoreto pro Nestorio composita; & epistola

Ibæ

Ibæ ad Marim Persam. Describenda autem hæc omnia hoc in loco duximus, quia fundamenta suorum dogmatum facilè Chaldæi in illis agnoscere poterunt: quæ cum viderint damnata fuisse à sanctis Patribus; non dubitamus, quin & ipsi pietatis zelo, & orthodoxæ doctrinæ studio incensi, alacri animo illa reijciant; atque Catholicam veritatem, quam sancta Romana Ecclesia docet, libentissimè amplectantur.

EX HIS, QVÆ A THEODORETO scripta sunt aduersus duodecim Capitula S. Cyrilli. Et primo ex his, quę ad primum anathematismum scripsit; vt coram Patribus in Concilio lecta fuerunt, collatione V.

Cap. XIIII.

INQVIT Theodoretus: *Certum igitur est ex prædictis, quòd Dei forma non immutata in serui formam, sed manens quod erat; sumpsit serui formam. Si igitur non factus est caro Deus Verbum, sed carnem viuam, & rationabilem recepit; non ipse natura ex Virgine natus est, conceptus est, complasmatus, & formatus; & initium inde, vt esset accipiens, qui ante sæcula est, & Deus est, & apud Deum est, & cum Patre est, & cum Patre cognoscitur, & adoratur: sed cum sibi templum in Virginali vtero complasmauit, cum illo erat, qui complasmatus, & conceptus, & formatus; & na-*

& natus est. Quapropter, & sanctam illam Virginem, Dei genitricem appellamus; non quòd Deum natura genuit, sed quòd hominem Deo vnitum, qui eum complasmauit. Et aduersus secundum anathematismum: *Vnum quidem Christum confitemur, diuinis doctrinis Apostolorum obedientes; & eundem per vnitatem Deum, & hominem nominamus: vnitatem verò, quæ est secundum subsistentiam, omninò ignoramus, tanquam nouam & alienigenam diuinarum scripturarum, & Patrum, qui eas interpretati sunt.* Et iterum contra quartum anathematismum. *Cui igitur adscribamus hoc quod est: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? & hoc quod est: Pater, si potest fieri, transeat calix iste à me. Et hoc quod est: Pater saluum me fac ab ista hora. Et hoc quod est: Horam illam nemo cognouit, neque filius hominis: & alia, quæ humiliter ab ipso, & à sacris Apostolis de ipso dicta, & scripta sunt? Cui esuritionem, & sitim applicemus? cui laborem, & somnum? cui ignorantiam, & formidinem? Quis est, qui Angelico indiguit auxilio? Si Dei Verbi hæc sunt, quomodo ignorauit sapientia?* Et post alia: *Non erat Dei Verbi ignorantia, sed serui formæ; quæ tantum in illo tempore cognoscebat, quantum inhabitans Deitas reuelauit.* Et contra decimum anathematismum hæc scribit: *Quis est, qui laboribus virtutis perfectus est, & non natura perfectus existens? Quis est, qui experimento cognouit obedientiam, & istam ignorans ante experimentum? Quis est, qui cum reuerentia vixit; & cum labore forti, & lacrymis supplicationes obtulit; & saluum se facere non potens, sed obsecrans illum, qui poterat saluum facere; & mortis liberationem postulans? Non Deus Verbum, qui immortalis est, qui impassibilis, qui incor-*

incorporalis. Et post alia: *Sed id, quod ex semine Dauid sumptum ab ipso est, quod est mortale, quod est passibile, quod timet mortem, licet postea destruxerit mortis potentiam, propter vnitatem Dei, qui hoc recepit, quod per omnem ambulauit iustitiam; & ad Ioannem dixit: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam: hoc summi Sacerdotij appellationem accepit, secundum ordinem Melchisedech. Illud enim habebat naturæ infirmitatem*. Eiusdem Theodoreti ex epistola, quam ad Monasteria contra sanctum Cyrillum scripsit: *Qui propè stant, deridentnostram pugnam, & nostris fruuntur malis, & gaudent videntes nos à nobismetipsis consumptos. Causa verò istorum sunt, qui Apostolicam Fidem corrumpere contendunt; & Euangelicis dogmatibus instabilem doctrinam imponere præsumunt; & impij Cyrilli capitula cum anathemate in Regiam Ciuitatem transmiserunt: suscipientes, & suis scriptionibus, vt putauerunt, confirmantes, quæ manifestè ex amara Apollinarij doctrina exorta sunt: eandem enim habent Arij, & Eunomij blasphemiam. Quòd si quis subtiliter perspicere voluerit, nec ab insania Valentini, & Manæ, & Marcionis aliena sunt. Nam in primo quidem capitulo, dispensationem pro nobis factam eiecit: non recepisse Deum Verbum carnem humanam, sed ipsum in carnem mutatum esse docens; & suspicione, & phantasia Saluatoris nostri, inhumanationem, sed non verè factam esse dogmatizans. Hæc verò ab impietate Marcionis, & Manæ, & Valentini generata sunt. In secundo autem & tertio capitulo, quasi oblitus eorum, quæ in principijs exposuit: vnitatem, quæ est secundum subsistentiam, introducit, & conuentum per vnitatem*

tem naturalem: temperationem quandam, & confusionem, per hæc nomina factam esse docens, diuinæ naturæ, & serui formæ. Hoc verò ab Apollinarij hæretica insania natum est. In quarto verò capitulo, Euangelicarum, & Apostolicarum vocum diuisionem abdicat: & non permittit secundum orthodoxorum Patrum doctrinas, eas quidem, quæ Deo conueniunt, voces, in diuina excipere natura; humiliores verò, & humaniter dictas recipi, & applicari humanitati; & inde igitur est inuenire benè sapientes impietatis cognationem. Arius enim, & Eunomius creaturam, & ex his, quæ non sunt, & seruum, vnigenitum Dei Filium dicentes; humana, quæ à Domino Christo humaniter dicta sunt, Deitati ipsius applicare ausi sunt: alienum paternæ substantiæ, & dissimilem inde eum ostendere festinantes. Super hæc, vt compendiosè dicam; ipsam impassibilem, & non mutabilem Christi Deitatem & pati, & crucifigi, & mori dicit. Hoc verò & Arij, & Eunomij insaniam superat. Nec enim qui creaturam audent dicere Creatorem omnium & opificem, in istam excesserunt impietatem. Blasphemat verò & sanctum Spiritum; non ex Patre ipsum procedere dicens, secundum Domini vocem; sed ex Filio esse. Et iste verò Apollinarij seminum fructus est: propinquat verò & Macedonij malignæ culturæ. Tales sunt Aegyptij partus maligni; patris verò peior progenies. Hæc cum oporteret vel abortiua facere in ipsa conceptione, aut statim nata corrumpere, eos, quibus animarum medicina commissa est, vtpote perniciosa, & nostræ naturæ læsiones; nutriunt magnanimi; & multo digna esse studio iudicant, ad perniciem tàm suam, quàm aliorum, qui aures eis patiuntur præstare. Item ex allocutione Theodoreti

aduer-

aduersus sanctum Cyrillum, Chalcedone habita, statim post Ephesinam primam Synodum, cum ab Epheso ascendisset Constantinopolim, vna cum Orientalibus, pro Nestorio, quasi iniustè condemnato. *Vides*, inquit, *quomodo differentiam naturarum scio, & vnitatem non soluo, ò noue Christi impugnator, magis verò Dei impugnator? Hunc præscripto consilio, & præscientia Dei traditum capientes, per manum iniquorum adfigentes interfecistis: quem Deus resuscitauit ex mortuis, solutis vinculis inferni.* Item & ex alia allocutione in eadem Ciuitate, contra sanctæ memoriæ Cyrillum: *Nunquid soluo vnitatem, ò noue hæretice, neque tu confundis naturas? Dic inconfusam vnitatem, & suscipio vocem. Sed quid dicis, quòd vna natura duæ naturæ factæ sunt? Quis te hoc Propheta erudijt? quis Apostolorum? primus, secundus, medius, vltimus, qui est post duodecim, Paulus, Barnabas? Quis posterior illis doctor? Disce tuum doctorem. Hoc Asterius Arianus genuit, & Apollinarius tuus pater. Teipsum enim filium illius constituisti: cuius dogmatum hæres fastus es, sis & appellationis hæres meritò.*

Hæc ex his, quæ de conscriptis à Theodoreto contra orthodoxæ Fidei doctrinam in Concilio lecta sunt, descripsisse sufficiant. Prætermisimus autem eius epistolas ad Andræam Episcopum Samosatenum, ad ipsum Nestorium, & ad Ioannem Antiochenum; nonnullaq; loca ex eius allocutione Antiochiæ, post beati Cyrilli transitum habita; quæ similiter cum superioribus eius scriptionibus recitata fuerunt: quòd conuicijs magis, quàm doctrina referta sint. Et quòd in his facilè agno-

scere possint Chaldæi fundamenta illius doctrinæ, quam hactenus in mysterijs altissimis nostræ Fidei explicandis, secuti sunt: atque insuper mendacia manifestissima, quorum scriptores isti, hæreticorum fautores, insimulant orthodoxos, sanctosq; Patres, Ecclesiæ sanctæ Apostolicos Doctores; impudentissimè illis ascribentes, quòd diuinitatis, & carnis confusionem, aut diuinitatis in carnem mutationem, impiè nos docere cum damnatissimis hæreticis voluerint. Sed iam addamus, quid egerit sancta Synodus, postquam impia hæc scripta audiuit.

SANCTA SYNODVS dixit: ET ex his, quæ Theodoretus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonensis Concilij. Sciens enim eius blasphemias, prius quidem multis sæpius vsa est contra eum exclamationibus: postea verò non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematizasset Nestorium, & eius blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eas. Hæc sancta Synodus. Transeamus modò nos ad epistolam Ibæ, hoc est tertium capitulum à sanctis Patribus in Concilio expensum, examinatumque. Cuius epistolæ auctoritate maximè nitebantur Nestoriani.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ quæ dicitur ab Iba Episcopo scripta ad Marim Persam. Ex collatione vj. Vniuersalis quintæ sanctæ Synodi. Cap. XV.

COMPENDIOSE verò sapientiæ tuæ lucidæ, quæ per pauca multa cognoscit, qualia ante hoc, & nunc facta sunt; manifestare festinauimus: scientes, quòd hæc tuæ reuerentiæ scribentes, omnibus per tuum studium, qui ibi sunt; fuerint manifesta, quæ à nobis scribuntur; qui nullam immutationem à Deo datæ scripturæ acceperunt. Facio verò initium causæ ex verbis, quæ & ipse cognoscis. Factum est certamen, ex quo tua reuerentia hic fuit, duobus hominibus istis Nestorio, & Cyrillo: & conscripserunt contra se verba nocibilia, quæ scandala erant audientibus. Nestorius enim dixit in suis libris, sicut & tua reuerentia cognoscit: Quòd Beata Maria, Dei Genitrix non est; vt putaretur pluribus, de secta Pauli Samosateni esse, dicentis, hominem purum esse Christum. Cyrillus verò volens verba Nestorij refutare, lubricauit; & inuentus est cecidisse in dogma Apollinarij. Conscripsit enim & iste similiter illi: Quòd ipse Deus Verbum factus est homo; vt non sit differentia inter templum, & inhabitantem in eo. Conscripsit enim duodecim Capitula, quæ puto & tuam reuerentiam cognouisse: Quòd vna natura est Deitatis, & humanitatis Domini Nostri Iesu Christi: & Quòd non oportet, inquit, diuidere voces dictas; quas, aut ipse Dominus pro se dixit; aut Euangelistæ de ipso. Omni verò impietate ea plena sunt & an-

tequam nos dicamus, ſicut & tua ſanctitas cognoſcit. Quomodo enim poſſibile eſt accipi Verbum, quod ab initio eſt; pro templo, quod ex Maria natum eſt? aut illud: Minorasti eum paulominus ab Angelis; de Deitate vnigeniti dictum fuiſſe? Eccleſia enim ſic dicit, ſicut & tua reuerentia cognoſcit, & ab initio edocta eſt, & firmata diuina doctrina ex verbis beatiſſimorum Patrum: Duæ naturæ, vna virtus, vna perſona; quod eſt vnus Filius Dominus Ieſus Chriſtus. Propter hoc certamen victores, & pij Imperatores iuſſerunt primates Epiſcoporum in Epheſinam ciuitatem congregari; & ſub omnibus libros Neſtorij, & Cyrilli iudicari. Antequam verò omnes Epiſcopi, qui iuſſi ſunt congregagari, in Epheſum peruenirent; antecedens idem Cyrillus, aures omnium, veneno obcæcanti oculos ſapientium, obtinuit: inuenit enim cauſam ex odio contra Neſtorium. Et antequam in Synodum peruenirent vir ſanctiſſimus Archiepiſcopus Ioannes; de Epiſcopatu Neſtorium deiecerunt; iudicio, & quæſtione non facta. Poſt duos verò dies deiectionis eius, venimus in Epheſum: & cum didiciſſemus, quòd in deiectione Neſtorij, quæ ab his facta eſt; duodecim Capitula conſcripta à Cyrillo contra conſtituta Fidei veræ, propoſuerunt, & confirmauerunt, & eis conſenſerunt, vtpotè veræ Fidei conſonantibus; omnes Orientis Epiſcopi ipſum Cyrillum deiecerunt; & contra alios Epiſcopos, qui conſenſerunt Capitulis, excommunicationem ſtatuerunt. Et poſt hanc confuſionem vnuſquiſque in ſuam Ciuitatem reuerſus eſt. Neſtorius verò, quoniam odio habebatur ſuæ Ciuitati, & maioribus in ea conſtitutis; illuc reuerti non potuit. Et manſit Synodus Orientalis non communicans Epiſcopis communicanti-

cantibus Cyrillo. Et propter hæc, tribulatio multa inter eos facta est: & in certamine, Episcopi ad Episcopos facti sunt; & populi ad populos: & quæ scripta sunt, opere impleta sunt: Quòd erūt inimici hominis domestici eius. Et ex hoc maleloquia multa contra nos facta sunt, tàm paganorum, quàm hæreticorum: nec enim audebat aliquis de ciuitate in ciuitatem, & à prouincia in prouinciam ire: sed vnusquisque proximum vt inimicum persequebatur. Multi verò non habentes timorem Dei ante oculos; occasione zeli pro Ecclesiis, quam habebant inimicitiam occultam in corde suo; ad effectum perducere festinauerunt. Quorum vnus ex ipsis est ciuitatis nostræ tyrannus, quem & ipse non igneras: qui occasione Fidei, non solum cum eo viuentes persequitur, sed etiam eos, qui dudum ad Dominum abierunt. Qui vnus ex ipsis est beatus Theodorus prædicator veritatis, & doctor Ecclesiæ: qui non solū in vita sua hæreticos percussit pro veritate suæ Fidei; sed etiam post mortem arma spiritalia in suis libris, filijs Ecclesiæ dereliquit; sicut & tua reuerentia cum eo collocuta, cognouit; & ex his, quæ ab eo conscripta sunt, credidit. Istum ausus est, qui omnia audet, in Ecclesia manifestè anathematizare: qui propter zelum Dei, non solum suam ciuitatem ab errore in veritatem conuertit; sed etiam longè ægrotantes Ecclesias erudiuit sua doctrina. Et de codicibus autem eius multa vbique inuestigatio facta est; non quòd Fidei veræ alieni fuerant (vidi enim, quòd illum viuentem frequenter laudabat, & in codicibus eius legebat;) sed propter inimicitiam occultam, quam habebat ad eum; quoniam conuicit eum manifestè in Synodo. Istis verò malis inter eos tenentibus; & vnoquoque vt volebat, sicut scriptum est, eunte: Deus noster adorandus, qui

sempex sua clementia curat Ecclesiam ; excitauit fidelissimi , & victoris Imperatoris cor , mittere virum magnum , & cognitum de suo Palatio , qui compelleret virum religiosissimum , & sanctissimum Archiepiscopum Ioannem conciliari Cyrillo: ab ipso enim , Episcopatu deiectus erat . Et postquam suscepit literas Imperatoris , direxit sanctissimum , & Reuerendissimum Paulum Episcopum Emesæ ; scribens per eum veram Fidem ; & mandans ei , quòd si isti Fidei consenserit Cyrillus , & anathematizauerit dicentes , Quòd Deitas passa est ; & dicentes , Quòd una natura est Deitatis , & humanitatis ; vt ei communicet . Voluit autem Dominus , semper curans pro sua Ecclesia sanguine suo redempta , & cor Aegyptij mollire ; vt sine vexatione , Fidei consentiret , vt eam susciperet , & omnes extra eam credentes anathematizaret . Et cum communicassent inuicem , certamen de medio ablatum est , & pax in Ecclesia facta est ; & non iam de cetero in ea dissidium , sed pax , sicut prius est . Quæ verò sunt verba à viro sanctissimo , Reuerendissimoq; Archiepiscopo Ioanne scripta ; & quæ rescripta susceptt à Cyrillo ; ipsas epistolas huic , quæ ad tuam reuerentiam scripta est , coniungens ; direxi tuæ reuerentiæ : vt legens cognoscas , & omnibus Patribus nostris pacem amantibus annunties , quòd certamen iam cessauit , & medius paries ablatus est inimicitiæ : & qui inordinatè contra viuentes , & mortuos irruerunt , in confusione sunt ; satisfacientes pro suis culpis ; etiam contraria priori suæ doctrinæ docentes . Non enim præsumit aliquis dicere , quòd una est natura Deitatis , & humanitatis ; sed confitentur in templum , & inhabitantem in eo , qui est vnus filius Iesus Christus . Hæc verò scripsi tuæ reuerentiæ ex multo affectu , quem habeo ad te : confidens , quòd tua Sanctitas

tas noctu, dieq́, in doctrina Dei teipsum exerces, vt & multis prodesse possis.

SENTENTIA SANCTORVM Patrum quintæ Vniuersalis sanctæ Synodi: qua Theodorus Mopsuestenus, eiusq́; nefaria doctrina; itidemq́; impia Theodoreti scripta; & epistola Ibæ, modo relata, damnantur.

Cap. XVI.

SED videamus tandem, quid sancti Patres censuerint de scripturis superiùs à nobis propositis. Habetur autem sanctorum Patrum sententia in actis ipsius sanctæ Vniuersalis quintæ Synodi, collatione viij. vt infra, videlicet:

Diodorus Archidiaconus, & Primicerius reuerentissimorũ Notariorum, dixit: Scit vestra sancta Synodus, quòd ante aliquot dies in diuersis conuentionibus acta sunt quædam apud vos de Theodoro Mopsuesteno; & quæ impiè conscripsit Theodoretus; & impia epistola, quæ dicitur Ibæ, ad Marim Persam conscripta. Et quòd in vltima Actione promisit vestra sancta Synodus perfectam, & synodicam sententiam imponere his, quæ examinantur. Quoniam igitur ad hoc ipsum conuenistis; suggerimus ad quod placuerit. Sancta Synodus dixit: Ea quæ de propositis quæstionibus apud vos acta sunt, manifesten-

festentur. Et post lectionem, cum suscepisset Calonymus reuerentissimus Diaconus, & Notarius sententiam, recitauit.

MAGNO DEO, & Saluatore nostro Iesu Christo, secundum parabolam in Euangelijs dictam, pro vniuscuiusque viribus talenta distribuente, & operam eorum opportuno tempore exigente: si is, qui creditum sibi vnum talentum sine diminutione seruauit, eo quod non operatus est, & amplificauit hoc, quod sibi creditum est; condemnatur: quanto maiori & horribiliori iudicio subiacet, qui non solùm de ipso neglexerit; sed etiam alijs scandali, & perturbationis causam præbuit? cum sit omnibus manifestum, quòd quando de Fide ratio moueatur, non solum impius condemnatur; sed etiam ille, qui potest quidem prohibere impietatem, negligit verò aliorum correptionem. Et nos igitur, quibus regere Ecclesiam Domini creditum est; timentes maledictionem, quæ imminet his, qui negligenter opera Domini faciunt: festinamus bonum Fidei semen, purum conseruare ab impietatis zizanijs, quæ ab inimico inseminantur. Quoniam igitur videbamus, quòd Nestorij sequaces conati sunt per Theodorum impium, qui Mopsuestiæ fuit Episcopus; & impia eius conscripta; & insuper per ea, quæ impiè Theodoretus conscripsit; & per epistolam scelleratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Persam scriptam esse; suam impietatem Dei Ecclesiæ applicare: ideò ad eorum quæ mouebantur, correptionem surreximus: & pro Dei voluntate, & iussione pijssimi Imperatoris vocati ad hanc Regiam Vrbem; conuenimus. Et quia contigit, Vigilium religiosissimum, in hac Regia Vrbe degentem, omnibus interesse, quæ his tribus capitulis annotata sunt; & tàm sine scriptis, quàm in scripturis, ea sæpius condemnasse; postea tamen & consensit in

scriptis

scriptis, in Concilio conuenire, & disceptare vna nobiscum de his tribus capitulis, vt definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur, Fidei rectæ conueniens: Pijssimus Imperator, secundum quod inter nos placuit, tàm ipsum, quàm nos hortatus est communiter conuenire: eo quòd Sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere. Vnde necessariò petiuimus ipsius reuerentiam, scriptas suas promissiones adimplere; nec iustum esse amplius, scandalum pro tribus istis capitulis crescere, & Dei Ecclesiam conturbare. Et pro his ad memoriam eius perduximus magna illa Apostolorum exempla, & Patrum traditiones. Licèt enim sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio, ad ea, quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod mouebatur; si oporteret gentes circumcidi; definire, priusquam communiter congregati, diuinarum scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmauerunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil aliud imponere vobis, præterquam necessaria: vt abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Sed & sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Concilijs conuenerunt; antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæresibus, & quæstionibus disposuerunt: certo constituto, quòd in communibus disceptationibus, cum proponuntur, quæ ex vtraque parte discutienda sunt; veritatis lumen tenebras expellit mendacij. Nec enim potest in communibus de Fide disceptationibus aliter veritas manifestari: cum vnusquisque proximi adiutorio indiget, sicut in Prouerbijs dicit Salomon: Frater fratri adiutorium præstans, exaltabitur

sicut

sicut Ciuitas munita: valet verò sicut Regnum fundatum. Et iterum in Ecclesiaste dicit: Optimi duo, quàm vnus; quibus est merces bona in laboribus ipsorum. Sed etiam ipse Dominus dicit: Amen dico vobis, si duo ex vobis conuenerint super terram; de omni re quamcumque petierint, continget illis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum. Cum autem sæpius & à nobis inuitatus; & insuper gloriosissimis Iudicibus missis ad ipsum à pijssimo Imperatore; promisit per seipsum de ijsdem tribus capitulis sententiam proferre. Huiusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quòd vnusquisque pro se rationem reddet Deo: timentes autem & iudicium imminens eis, qui vel vnum ex minimis scandalizant; quanto magis Imperatorem ita Christianissimum, & populos, & Ecclesias totas: & quod dictum à Deo ad Paulum: Ne timeas, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego sum tecum, & non poterit nocere tibi: congregati ante omnia, compendiosè confessi sumus Fidem illam tenere, quam Dominus noster Iesus Christus verus Deus tradidit sanctis suis Apostolis, & per eos sanctis Ecclesijs; & qui post illos fuerunt sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ, creditu sibi populis tradiderunt. Tenere autem, & seruare, & prædicare sanctis Ecclesijs confessi sumus hanc Fidei confessionem, quam latius exposuerunt trecenti, decem, & octo sancti Patres Nicææ congregati, qui sanctum Mathema, siue Symbolum tradiderunt: insuper autem, & centum quinquaginta in Constantinopoli collecti, exposuerunt; qui eandem Fidei confessionem secuti sunt, & eam explanauerunt: & ducentorum sanctorum Patrum prius Ephesi collectorum, pro eadem

Fide

Fide consensum: & quæ à sexcentis triginta Chalcedone congregatis, definita sunt pro una, eademq; Fide; quam & ipsi secuti, prædicauerunt. Eos autem, qui pro tempore condemnati, vel anathematizati à Catholica Ecclesia, & prædictis quatuor Concilijs sunt; confessi sumus condemnatos, & anathematizatos habere. Cumq; hæc ita confessi sumus, initium fecimus examinationis trium capitulorum; & proposuimus prius de Theodoro Mopsuesteno: & cum in medio prolatæ sunt blasphemiæ codicibus insertæ, mirati sumus in his Dei patientiam, quòd non diuino igni statim incensa est lingua & mens, quæ hæc eructauit: & nunquam concessissemus, procedere lectorem prædictarum blasphemiarum: pro sola memoria illarum, indignationem Dei timentes; (vtpote vnaquaque blasphemia magnitudine impietatis, antecedentem superante, & mentem auditoris funditus permouente) nisi eos, qui talibus blasphemijs gloriantur, videremus indigere confusione, per manifestationem earum eis inferenda: vt nos omnes zelo blasphemiarum contra Deum expositarum incensi, & in medio lectionis, & post ipsam, inclamationes, & anathematismos contra Theodorum, vt viuentem & præsentem faceremus: Propitius sis Domine, dicentes: nec dæmones ausi sunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam? O prauitatem viri? O altam illam manum, quam extendit contra Creatorem suum. Scripturas scire, miser ille, pollicitus, non meminit Oseæ prophetæ, dicentis: Væ illis, quoniam exilierunt à me: famosi facti sunt, quia impij fuerunt in me; iniqua locuti sunt aduersum me, & aduersum me excogitantes, locuti sunt pessima. Ideò cadent in frameam propter improbitatem linguæ suæ. Hic contemptus eorum in sinu eorum: quia transierunt testamen-

tum


image
not
available

eos, quid dicant de Domino, dicente de seipso: Qui crediderit in eum, non iudicatur: qui autem non crediderit in eum, iam iudicatus est, quia non crediderit in nomine vnigeniti Filij Dei? Et Apostolo clamante: Licèt nos aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præterquam euangelizauimus vobis: anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis: anathema sit? Domino enim, quòd iam iudicatus est, dicente; & etiam Apostolo, Angelos si docerent, præter quod euangelizati sumus, anathematizante: quomodo præsumunt dicere, qui omnia audent, de viuis tantummodo hæc dicta esse? Aut ignorant, magis autem scientes ignorare confingunt, quòd iudicium anathematis, nihil aliud est, nisi separatio à Deo? Quod impius licet non verbo ab aliquo suscepisset; tamen anathema re ipsa sibi infert, per suam impietatem semetipsum à vera vita separans. Quid autem dicunt & ad Apostolum iterum dicentem: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem euita; sciens, quoniam peruersus est huiusmodi homo, & peccat, & est à semetipso damnatus? Quibus consonantia sanctæ memoriæ Cyrillus in libris, quos contra Theodorum scripsit, ita dicit: Euitandi sunt illi, qui tam pessimis culpis detinentur, siue in viuis sint, siue non. A nocente enim semper refugere necessarium est; & non ad personam magis respicere, sed ad hoc quod Deo placet. Et iterum idem sanctæ memoriæ Cyrillus scribens ad Ioannem Episcopum Antiochiæ, & congregatam ibi Synodum; de Theodoro, vtpotè vnà cum Nestorio anathematizato, ita dicit: Erat igitur necessarium, claram propterea ducere festiuitatem, expulsa certè omni voce à quocumque dicta, quæ consonat Nestorij

bla-

blasphemijs. Processit enim aduersus omnes, qui eadem sapiunt, vel sapuerunt aliquando, quod absolutè nos, & vestra Sanctitas dixit: Anathematizamus illos, qui dicunt Filios duos, & duos Christos. Vnus enim, vt dictum est, prædicatur à nobis & vobis, Christus, & Filius, & Dominus vnigenitus vt homo, secundum vocem sapientissimi Pauli. Sed etiam in epistola ad Alexandrum & Martinianum, & Ioannem, & Paregorium & Maximum presbyteros, & patres Monachorum, & eos qui cum ipsis erant, solitariam vitam exercentes; ita dicit: Iam quidem & sancta Synodus Ephesi secundum Dei voluntatem congregata, contra Nestorianam perfidiam iusta, & subtili prolata sententia; & aliorum vaniloquia, qui vel postea futuri sunt, vel iam fuerunt; eadem illi sapientes, & dicere, vel scribere tale aliquid præsumentes; vna cum ipso condemnauit; æqualem condemnationem ei imponens. Consequens enim erat, vno semel pro suis tam profanis vaniloquijs condemnato, non contra vnum tantum venire: (sed vt ita dicam) contra omnem eorum hæresim, siue calumniam, quam fecerunt contra pia Ecclesiæ dogmata; duos colentes Filios, & diuidentes indiuiduum, & anthropolatriæ crimen inferentes cœlo, & terræ. Adorat enim nobiscum supernorum Spirituum sancta multitudo vnum Dominum Iesum Christum. Sed etiam Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopos splenduit; diuersæ epistolæ recitatæ sunt; significantes, quòd oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Talem autem Ecclesiasticam traditionem & alij Africani Reuerendissimi Episcopi seruauerunt. Sed & Romana sancta Ecclesia quosdam Episcopos & post mortem anathematizauit; licet pro Fide in vita sua non

essent

essent accusati: & utrumque apud nos habita gesta significant. Sed quoniam euidentissimè veritatem impugnantes, Theodori, & ipsius impietatis discipuli; quædam verba sanctæ memoriæ Cyrilli, & Procli proferre conantur, quasi pro Theodoro scripta; oportunum est propositis aptare verba Prophetæ dicentis: Quia rectæ sunt viæ Domini, & iusti ambulant in eis: impij autem infirmabuntur in eis. Nam & isti malè excipientes ea, quæ benè & opportunè à sanctis istis Patribus scripta sunt; & excusantes excusationes in peccatis; hæc verba proferunt. Apparent enim Patres non liberantes anathemate Theodorum, sed dispensatiuè talibus quibusdam utentes verbis, propter defensores Nestorij, & eius impietatis; ut ab eiusmodi errore eos abstrahentes, ad perfectum deducerent; & docerent non solum, discipulum impietatis, Nestorium addicere, sed etiam doctorem eius Theodorum. Itaque & in ipsis dispensationis verbis suam Patres intentionem ostendunt, de eo, quòd oportet anathematizari Theodorum; sicut per plurima in gestis apud nos habitis demonstratum est, ex his, quæ ad condemnationem Theodori, & eius impietatis, Cyrillus, & Proclus sanctæ memoriæ scripserunt. Et talem dispensationem in diuina Scriptura est inuenire: ad hoc & Paulus Apostolus in principio prædicationis fecisse ostenditur, propter eos, qui ex Hebræis erant, Timotheum circumcidens: ut per hanc dispensationē, & condescensionem ad perfectum eos deduceret. Vnde postea interdicens circumcisionē, ad Galatas ita scripsit: Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest. Inuenimus autem & illud, quod solent hæretici facere, & à Theodori defensoribus factum. Quædam enim ex his, quæ sancti Patres scripserunt, circumciden-

tes,

tes, quædã verò falsa ex semetipsis componentes, & confingentes; Cyrilli sanctæ memoriæ epistola conabantur, quasi ex testimonio Patrum, prædictum impium Theodorum anathemate liberare: in quibus & ipsis veritas demonstrata est: his quidem, quæ circumcisa erant, per sequentiam anteriorum, & posteriorũ perlectis: mendacio autem falsitatis, per collationem eorum, quæ vera erant; per omnia convicto. In omnibus autem istis, qui talia vana loquuntur, secundum quod scriptum est, Confidunt falsis, & loquuntur vana, quia concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem, telam araneæ texentes. His ita de Theodoro, & eius impietate discussis, pauca & ex his, quæ impiè à Theodoreto scripta sunt contra rectam Fidem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum; necnon quædam ad defensionem Theodori, & Nestorij impiorum, ab eo conscripta; ad satisfactionem legentium, in gestis apud nos confectis, recitari, & inseri perspeximus: ut sciant omnes, quòd iustè isti ejiciuntur, & anathematizantur. Tertio loco epistola, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, ad examinationem proposita; necessarium esse perspeximus & eam recitari. Statim igitur ex ipsa lectione, impietas ei inserta, omnibus manifestata est. Et oporteret quidem, vsque ad hoc quæstione facta; condemnationem, & anathematismum prædictorum trium capitulorum facere. Sed quia Theodori, & Nestorij impiorum defensores alio modo machinabantur confirmare eorum personas, & impietatem; & dicebant, istam impiam epistolam, quæ laudat, & defendit Theodorum, & Nestorium, & eorum impietatem; susceptam esse à sancto Chalcedonensi Concilio: necessarium esse putauimus per omnia ostendere, liberam esse sanctam Synodum

ab im-

ab impietate, quæ in epistola continetur: eo quod, qui talia dicunt, non fauore sancti Concilij hoc faciunt; sed vt per eius nomen, suam impietatem confirmarent. Et ostendebatur in gestis, quòd anterioribus temporibus accusatus est Ibas propter eandem impietatem, quæ & in epistola continetur: primo quidem apud Proclum sanctæ memoriæ Episcopum Constantinopolitanum: postea verò apud Theodosium piæ recordationis, & Flauianum, qui post Proclum Episcopus ordinatus est: qui & causæ examinationem delegauerunt Photio Episcopo Tyri, & Eustathio Episcopo Berytiorum ciuitatis. Postea verò inculpatus idem Ibas, ab Episcopatu deiectus est. His itaque subsecutis, quomodo præsumunt aliqui dicere, istam impiam epistolam susceptam esse à sancta Chalcedonensi Synodo; eamq; per omnia secutum esse sanctum Chalcedonense Concilium? Tamen ne quæcumque remaneret occasio eis, qui tales calumnias applicant sancto Chalcedonensi Concilio; recitari perspeximus ea, quæ apud sanctas Synodos, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, pro epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli, & religiosæ memoriæ Papæ antiquioris Romæ Leonis mota sunt. Et cum ex his accepissemus, quòd non aliter oportet suscipi, quæ ab aliquo scribuntur, nisi prius rectæ Fidei sanctorum Patrum consonare demonstrentur; interlocuti sumus recitari & definitionem quæ de Fide exposita est à sancto Chalcedonensi Concilio; vt conferantur, quæ in epistola, & quæ in definitione continentur. Quo facto demonstratum est, contrariam per omnia epistolam esse his, quæ in definitione continentur. Nam definitio quidem consonat his, quæ iudicata sunt pro vna, eademq; Fide, tàm à trecentis decem & octo sanctis Patribus, quàm à centum quin-

quaginta; & his, qui prius Epheſi conuenerunt: impia autem epiſtola, illa continet, quæ Theodorus & Neſtorius hæretici blaſphemauerunt; & defendit eos, & doctores ſibi adſcribit; ſanctos autem Patres hæreticos vocat. Et illud autem omnibus facimus manifeſtum, quòd nec partes interlocutionum vnius, vel ſecundi, quibus vtuntur Theodori, & Neſtorij ſequaces, prætcrire ſuſtinuimus; ſed & iſtis, & alijs omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his quæ eis continentur, conſideratis; inuenimus, quòd non aliter paſſi ſunt prædictum Ibam ſuſcipere, priuſquam exegiſſent eum, Neſtorium, & impia eius dogmata, quæ in epiſtola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tàm alij religioſi Epiſcopi prædicti ſancti Concilij, quàm illi duo, quorum interlocutionibus quidam vti conantur. Hoc enim & in Theodoreto obſeruauerunt, & exegerunt eum, anathematizare ea, pro quibus accuſabatur. Si igitur Ibam non alio modo ſuſcipere ſuſtinuiſſent, niſi impietatem, quæ in epiſtola continetur, condemnaſſet; & ſubſcripſiſſet definitioni, quæ pro Fide à ſancto Concilio data eſt: quomodo conantur dicere, ſuſceptam eſſe eandem impiam epiſtolam ab eodem ſancto Concilio? Quæ enim, vt verè dicamus, participatio eſt iuſtitiæ, & iniquitatis? & quæ ſocietas eſt luci cum tenebris? quæ autem conuentio eſt Chriſti cum Belial? aut quæ pars eſt fideli cum infideli? quæ autem eſt commixtio templo Dei cum Idolis?

Repetitis igitur omnibus, quæ apud nos acta ſunt, iterum Confitemur, quòd ſuſcipimus ſanctas quatuor Synodos: ideſt Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem; & quæ pro vna, eademq; Fide definierunt,

runt, prædicauimus, & prædicamus. Eos autem, qui hæc non suscipiunt, alienos Ecclesiæ Catholicæ iudicamus. Condemnamus autem, & anathematizamus, una cum omnibus alijs hæreticis, qui condemnati, & anathematizati sunt à prædictis sanctis quatuor Concilijs, & à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia; & Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit; & impia eius conscripta: & quæ impiè Theodoretus conscripsit contra rectam Fidem, & contra duodecim capitula sancti Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum; & quæ ad Theodori defensionem, & Nestorij ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus & impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse: quæ denegat, Deum Verbum, de sancta Dei Genitrice, & semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse: & sanctæ memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit; tanquam hæreticum, & similiter Apollinario scribentem criminatur. Et inculpat quidem Ephesinam primam Synodum, tanquam sine examinatione, & quæstione Nestorio ab eo depositio; & duodecim S. Cyrilli capitula, impia, & contraria rectæ Fidei vocat: defendit autem Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Prædicta igitur tria capitula anathematizamus: ideſt Theodorum impium Mopsuestenum, cum nefandis eius conscriptis: & quæ impiè Theodoretus conscripsit: & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ: & defensores eorum: & qui scripserunt, vel scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere præsumunt; vel omnino impietatem eorum, nomine sanctorum Patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilij, defenderunt, aut defendere conantur. His ita cum omni subtilitate dispositis, in memoria tenentes promissiones de sancta

Ecclesia factas; & qui dixit: Quòd portæ inferi non prævalebunt aduersus eam; idest hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem, & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit: Et sponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum: hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos impiissimos hæreticos, qui vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, patri mendacij Diabolo connumerantes; illis dicimus: Ecce omnes vos ignem accendistis, & conualescere facitis flammam ignis: ambulabitis in lumine ignis vestri, & per flammam, quam accendistis.

Hactenus sententia sanctorum Patrum de tribus capitulis: cui sententiæ Canones quatuordecim adiunxerunt, quibus orthodoxa doctrina Fidei Catholicæ, de incomprehensibilibus mysterijs sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Dei Verbi, summatim, breuiterque, ac dilucidè continentur; eosque nos quoque hìc subijciemus.

CA-

CANONES QVATVORDECIM sanctæ Vniuersalis quintæ Synodi.

Cap. XVII.

MANDATVM *habentes, per doctrinam rectam exhortari populum, & loqui in cor Hierusalem, id est Dei Ecclesiam; meritò seminare quidem in iustitia festinamus, vindemiantes fructum vitæ, & illuminantes nobis ipsis lumen scientiæ ex diuinis scripturis, & Patrum doctrina: necessarium esse putauimus capitulis comprehendere, & prædicationem veritatis, & hæreticorum, necnon eorum impietatis condemnationem.*

CANON I.

Si quis non confitetur, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam naturam, siue substantiam; & vnam virtutem, & potestatem: Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentijs, siue personis adorandam: talis anathema sit. Vnus enim Deus, & Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia; & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia.

CANON II.

Si quis non confitetur, Dei Verbi duas esse natiuitates; vnam quidem ante sæcula ex Patre sine tempore incorporaliter; alteram verò in vltimis diebus eiusdem ipsius, qui de cœlis de-

scendit; & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice, & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa: talis anathema sit.

CANON III.

Si quis dicit, alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit; & alium Christum, qui passus est; vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere; vel in ipso esse, vt alterum in altero: & non vnum, eundemq; Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum, & hominem factum; & eiusdem ipsius miracula, & passiones, quas voluntarie carne sustinuit: talis anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem; vnitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quòd placuit Deo Verbo homo, eò quod bene visum est ei de ipso; sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum, Filium & Christum vocantes; & hominem separatim, Christum & Filium nominantes; & duas personas euidenter dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem; vnam personam, & vnum Filium, & vnum Christum confingunt dicere: Sed non confitentur vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili, & intellectuali, secundum com-

compositionem, siue secundum subsistentiam factam esse; sicut sancti Patres docuerunt: & ideo vnam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate: talis anathema sit. Cum enim multis modis vnitas intelligitur; qui impietatem Apollinarij, & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quæ conuenerunt, colentes; vnitionem secundum confusionem dicunt. Theodori autem, & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem reijciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur; quod est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi, non solum inconfusè ea, quæ conuenerunt, conseruat; sed nec diuisionem suscipit.

CANON V.

Si quis vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem; & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas; & duarum personarum, quas introducit, vnam personam dicit secundum dignitatem & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt; & calumniantur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, vnius subsistentiæ vtentem vocabulo; sed non confitetur, Dei Verbum carni secundum subsistentiam vnitum esse; & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vnam personam: & sic sanctum Chalcedonense Concilium

vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi confessum esse: talis anathema sit. Nec enim adiectionem personæ, vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas, ex incarnato vno de sancta Trinitate Deo Verbo.

CANON VI.

Si quis abusiuè, & non verè Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam; vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, & nato ex ipsa; referenda autem, sicut illi dicunt, hominis natiuitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente: & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinuenit, Dei Genitricem Virginem dicentem: vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, idest Christi genitricem; tanquam si Christus, Deus non esset; & non propriè, & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse, qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in vltimis diebus ex ipsa incarnatus, & natus est; & sic piè & sanctam Chalcedonensem Synodum Dei Genitricem eam esse confessam: talis anathema sit.

CANON VII.

Si quis in duabus naturis dicens, non vt in Deitate, & humanitate, vnum Dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur; vt per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfuse ineffabilis vnitio facta est, neque Deo Verbo in

bo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta (manet enim vtrumque hoc, quod est natura, etiam facta vnitate secundum subsistentiam;) sed pro diuisione per partem, talem excipit vocem in mysterio Christi; vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Iesu Christo Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus & compositus est; non interemptam propter vnitatem (vnus enim ex vtroque, & per vnum vtraque;) sed in hoc, numero vtitur, vt separatim vnaquæque natura suam habeat subsistentiam: talis anathema sit.

CANON VIII.

Si quis ex duabus naturis Deitatis, & humanitatis confitens vnitatem factam esse; vel vnam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt: Quòd ex diuina natura, & humana, vnitione secundum subsistentiam facta; vnus Christus effectus est: sed ex talibus vocibus vnam naturam, siue substantiam Deitatis, & carnis Christi introducere conatur: talis anathema sit. Secundum subsistentiam enim dicentes, vnigenitum Deum Verbum carni vnitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se inuicem factam esse dicimus: sed magis permanente vtraque hoc, quod est; vnitum esse carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & vnus est Christus, Deus & homo; idem ipse consubstantialis Patri secundum Deitatem; & consubstantialis nobis idem ipse, secundum humanitatem. Æqualiter enim & eos, qui per partem diuidunt, vel incidunt; & eos,

qui

qui confundunt diuinæ dispensationis mysterium Christi: reijcit, & anathematizat Dei Ecclesia.

CANON IX.

Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum; ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo Verbo, & separatim homini: vel si quis ad interemptionem, vel ad confusionem Deitatis, & humanitatis, vnam naturam, siue substantiam eorum, quæ conuenerunt, introducens; sic Christum adorat; sed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est: talis anathema sit.

CANON X.

Si quis non confitetur, Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne; Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & vnum de sancta Trinitate: talis anathema sit.

CANON XI.

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, Origenem cum impijs eorum conscriptis; & alios omnes hæreticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & à prædictis sanctis quatuor Concilijs; & eos qui similia prædictis hæreticis sapuerunt, vel sapiunt, & vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent: talis anathema sit.

CA-

CANON XII.

Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus animæ, & desiderijs carnis molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem: & sic ex profectu operum melioratum, & à conuersatione immaculatum factum; & tanquam purum hominem baptizatum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & per baptisma, sancti Spiritus gratiàm accepisse, & filiationem meruisse; & ad similitudinem Imperialis imaginis, in persona Dei Verbi adorari; & post resurrectionem, immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omnino factum fuisse. Et iterum dixit idem impius Theodorus, talem factam esse vnitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere: Erunt duo in carne vna. Et super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quòd post resurrectionem cum insufflasset Dominus Discipulis, & dixisset: Accipite Spiritum sanctum; non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantummodo insufflauit. Iste enim, & confessionem, quam fecit Thomas, cum palpasset latus, & manus Domini post resurrectionem, dicens: Dominus meus, & Deus meus; inquit non esse dictam à Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus, Deum esse Christum: sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam, glorificasse Deum, qui Christum resuscitauit. Et, quod peius est, etiam in interpretatione, quam in Actis Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni: dicens, quòd sicut illorum vnusquisque ex dogmate quod inuenit, suos discipulos fecit

vocari

vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicuræos, & Marcionistas; simili modo, & cum Christus dogma inuenisset, & ipsos Christianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia eius conscripta, in quibus tàm prædictas, quàm alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum, & Saluatorem Iesum Christum: & non anathematizat eum, & impia eius conscripta; & omnes qui suscipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuisse; & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impijs eius conscriptis; & eos, qui similia illis sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & vsque ad mortem permanserunt, vel permanent in tali impietate: talis anathema sit.

CANON XIII.

Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam Fidem, & contra primam Ephesinam sanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius capitula exposuit; & omnia quæ conscripsit pro Theodoro, & Nestorio impijs, & pro alijs, qui eadem prædictis Theodoro, & Nestorio sapuerunt; defendens eos, & eorum impietatem: & propter hoc, impios, vocans Doctores Ecclesiæ, qui vnitatem, secundum subsistentiam, Dei Verbi ad carnem confitentur; & non anathematizat ea, & eos, qui similia illis sapuerunt, vel sapiunt; insuper autem, & omnes qui scripserunt contra rectam Fidem, & sanctum Cyrillum, & duodecim eius capitula; & vsque ad mortem in tali impietate permanserunt: talis anathema sit.

CA-

CANON XIV.

Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse: quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat; vt alius sit Deus Verbum, & alius homo: & sanctum Cyrillum, qui rectam Fidem Christianorum prædicauit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse, criminatur: & inculpat primam Ephesinam sanctam Synodum, tanquam sine examinatione, & quæstione Nestorium condemnantem: & duodecim capitula sancti Cyrilli, impia, & contraria rectæ Fidei, vocat eadem impia epistola: & defendit Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores eius; & eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius; & eos, qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur; & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilij; & in his vsque ad mortem permanent: talis anathema sit.

Cum igitur hæc ita rectè confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tàm à diuinis Scripturis, quàm à sanctorum Patrum doctrina, & ab his, quæ definita sunt de vna, eademq; Fide à prædictis sanctis quatuor Conciliis: facta autem à nobis & condemnatione contra hæreticos, & eorum impietatem: necnon etiã contra eos, qui defenderunt, vel defendunt prædicta impia tria capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent:

Si

Si quis conatus fuerit contra hæc, quæ piè disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere; siquidem Episcopus, vel Clericus sit: iste, tanquam aliena à Sacerdotibus, & statu Ecclesiastico faciens, denudabitur ab Episcopatu, vel Clericatu: si autem monachus, vel laicus sit, anathematizabitur.

Eutychius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos, nouæ Romæ, decreui quæ proposita sunt: & confitens sic habere, sicut omnia supra Capitula & dogmata continẽt; & suscipiens sanctas quatuor Synodos, ideſt Nicænam, Constantinopolitanã, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab his de una, eademq; Fide definita sunt; & in omnibus his permanens, sicut supra scriptũ est: Condemno, & Anathematizo super alios hæreticos, & impia eorum conscripta, Theodorum impiũ, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus; una cum impijs eius conscriptis: & omnia, quæ impiè Theodoretus conscripsit, sicut prædictum est: & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ: & qui similia eis sapuerunt, & sapiunt: & subscripsi.

Apollinarius misericordia Dei Episcopus Alexandriæ, decreui quæ proposita sunt: & confitens sic habere, sicut omnia supra Capitula, & dogmata continent; & suscipiens sanctas quatuor Synodos, &c. vt supra in subscriptione Eutychij Episcopi Constantinopolitani.

Domninus misericordia Dei Episcopus Theopolitanæ Ciuitatis (ideſt Antiochiæ) *decreui, quæ proposita sunt, &c.* vt supra. Eodemq; pacto ijsdem verbis subscripserunt

Stephanus Episcopus Rapheotanæ Ciuitatis, vicem agens Eustochij Patriarchæ Hierosolymitani. Ac subinde alij quoque Episcopi centum sexaginta.

NE-

NESTORIVM, ATQVE THEODORVM maximè differre à sanctis Patribus in significatione vocis, *Personæ;* ipsosq; etiam aliquo modo vnam personam in Christo ponere: quorum imitatione Chaldæos dicere vnum Parsopa Christi; ex quo vnam quoque esse eius voluntatem, atque virtutem.

Cap. XVIII.

AIT Ibas in epistola ad Marim Persam, à sanctis Patribus damnata, vt modò vidimus: *Ecclesia enim sic dicit, sicut & tua reuerentia cognoscit, & ab initio edocta est, & firmata diuina doctrina, ex verbis beatissimorum Patrum: Duæ naturæ, vna virtus, vna persona; quod est vnus Filius Dominus Iesus Christus.* In quibus verbis Patres duo notauerunt. Alterum est: Nestorium, & Theodorum naturas pro personis accipere. Alterum verò: Vnitatem, quam in Christo Domino nostro ponunt. Quamuis enim vnam esse dicant personam; eam tamen non esse secundum subsistentiam, sed secundum affectum, ideſt accidentalem. Sed describamus verba sanctorum Patrum, ex Actis quintæ sanctæ vniuersalis Synodi, collatione sexta. Inquiunt itaque Patres: *Scriptor*

ptor epistolæ dicens, duas naturas, & vnam virtutem, & vnam personam, & vnum Filium; & non confitens, quòd Deus Verbum incarnatus, & homo factus est, (quod est duarum naturarum secundum subsistentiam vnitas) cuius duas naturas dicit: certum est, quòd pro personis naturas ponit, & affectualem vnitatem dicit, secundum Theodorum, & Nestorium impios, quos defendit, & laudat scriptor epistolæ. Et isti enim duas personas, & duos Christos, & duos filios, dicentes; suam impietatem obumbrare volentes, duas naturas, & vnum Filium dixerunt. Quo loco maximè attendere debemus, quòd quamuis Nestorius, atque Theodorus diuisionem naturarum in Christo Domino posuerint; oretenus tamen negauerunt dualitatem personarum in eo. Dicit enim impius Nestorius in epistola ad Alexandrum Hierapolitanum Episcopum, eadem ei sapientem: *Non duas personas, vnam personam facimus; sed vna appellatione Christi, duas naturas simul significamus.* Dixerat quippè paulò superius in eadem epistola Nestorius: *Oportet manere naturas in suis proprietatibus, & sic per mirabilem, & omnem rationem excedentem vnitatem, vnam intelligi gloriam, & vnum confiteri Filium.* Sed eius doctor Theodorus adhuc enucleatius libro octauo de Incarnatione. Inquit autem: *Sicut & Dominus de viro, & muliere dicit, quòd non sunt duo, sed vna caro; dicamus & nos rationabiliter, secundum vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna: scilicet naturis discretis.* Igitur personarum dualitas in Christo, & à Theodoro, & ab eius discipulo Nestorio, oretenus vt diximus, apertè negata est. Qui tamen ob hanc blasphemam personarum dualitatem,

tem, meritò à sanctis Patribus damnati fuerunt. Quo loco considerandum se nobis offert discrimen, quod intercedit inter orthodoxos, atque hæreticos in significatione vocis *Personæ*. Notare igitur debemus, quòd cum duo sint, quæ in mysterio ineffabili dispensationis Dei Verbi concurrunt, natura diuina, & natura humana; & humana natura in persona diuina subsistat; (Diuina quippè natura, humanam, quam assumpsit, in sui ipsius assumentis persona subsistentat. Et hæc est vnitas admirabilis secundum subsistentiam; quam vt vidimus, hæretici non admittunt;) ideò in huius altissimi mysterij explicatione vtimur his vocibus, natura, persona, atque subsistentia. Verum apud sanctos Patres cùm Græcos, tùm Latinos, persona, atque subsistentia pro vno, eodemq; accipiuntur; quamquàm Græci frequētius vtantur voce, subsistentia, quæ Græcè dicitur hypostasis; Latini verò libentius dicunt personam, eo quòd hæc vox magis illis sit familiaris, & ob id opportunior ad explicandum id, quod intelligunt. Sed, vt diximus, idem est apud orthodoxos, quod significatur per vocem, hypostasim, & personam. At apud hæreticos, præcipuè apud Nestorium, & Theodorum, eorumq; sectatores, non item: siquidem magnum discrimen ponunt inter personam & hypostasim. Nam, hypostasim, intelligunt naturam per se subsistentem, quæ tantum mente percipiatur: personam verò, ipsam eandem naturam subsistentem, vt sensui patet, & per sensum cognoscitur. Sed cum propriè, personam, intelligant id, quod oculis se offert; non tamen negant, aliquo pacto accipi posse pro hy-

postasi. Idq; ex verbis ipsius Theodori eodem libro octauo de Incarnatione manifestè colligitur; sic enim inquit: *Quando etenim naturas discernimus; perfectam naturam Dei Verbi dicimus, & perfectam personam (nec enim sine persona est subsistentiam dicere;) perfectam autem & hominis naturam, & personam similiter. Quando autem ad coniunctionem respicimus; vnam personam tunc dicimus.* Hæc Theodorus: in quibus, vt manifestè apparet, de duplici cognitione loquitur, intellectiua atque sensitiua. Nam dubium non est, quin ipse tribuat intellectui discernere naturas perfectas: respicere autem coniunctionem naturarum, sensui. Hinc facilè manasse credimus ad Chaldæos hanc distinctionem vocis, hypostasis, &, personæ; apud quos, vt accepimus, magna est auctoritas Theodori Mopsuesteni: siquidem & ipsi in explicatione dispensationis Verbi Dei incarnati, adhibeant tria hæc nomina, *Chianè, Chnuma, & Parsopa;* idest, naturam, hypostasim, & personam. Dicunt enim, in Christo esse duas Chianas, duasq; Chnumas, & vnum Parsopa. Parsopa autem appellant, id quod oculis cernitur; quasi verò Græca voce Prosopon paulò immutata, quæ communiter significat vniuscuiusque faciem: & propterea, vt Christi Domini Parsopa, appellant humanum ipsius aspectu; & Spiritus sancti Parsopa, columbam, & ignem, sub quibus speciebus apparuit: ita & Patris æterni Parsopa, dicunt ignem illum, quo succensum rubum minimè comburi Moses videbat. Pari quoque pacto facilè nobis persuademus, quòd cum Ibas dicat, in Christo esse duas naturas, vnam virtutem, & vnam personam: Chaldæi ex

pessima

peſſima huius epiſtolæ doctrina acceperint impium, execrandumq; dogma vnius voluntatis, & operationis in Chriſto. Nam & ipſi dicunt vnam eius virtutem, vt dicit Ibas, & vnam voluntatem. Et ratio, qua inducimur, vt ita exiſtimemus, eſt, quia impia hæc epiſtola fuit ab eodem auctore in Syriacum idioma conuerſa; ſicut Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus teſtatur in epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Antiochenum; vt habemus in actis Quintæ Vniuerſalis ſanctæ Synodi, collatione ſexta: quæ epiſtola Ibæ, maximam auctoritatem apud Neſtorij, atque Theodori fautores habebat. Quamquam idipſum à Neſtorio didiciſſe potuerint: qui vt ſanctus Agatho Papa in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, atque Heraclium, & Tiberium Auguſtos ſcribit; vnicam & ipſe voluntatem, atque operationem Chriſto Domino tribuit. Epiſtola hæc ſancti Agathonis, inter acta ſextæ ſanctæ vniuerſalis Synodi relata eſt, actione quarta. Verba autem Neſtorij, ex quibus eius peruerſa opinio de vnitate voluntatis, & operationis Chriſti colligitur; deſumpta ex libro ſecundo, quem inſcripſit: *Præclaram initiationem;* vt teſtatur ſanctiſſimus Pontifex; hæc ſunt: *Inconfuſas cuſtodimus naturas, non ſecundum ſubſtantiam arbitrio tantum copulatas; propter quod earum vnam voluntatem, & operationem, & dominationem videmus dignitatis æqualitate oſtenſas.* Sed, ſiue ab epiſtola Ibæ, ſiue à Neſtorij commentarijs Chaldæi execrandum hoc dogma acceperint; illud quidem ab vnitate perſonæ deducunt, atque defendunt, vt Macarius Antiochenus, & ceteri Monothelitæ, nempe Theodorus

Episcopus Pharanitanus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Episcopi Constantinopolitani, atque Cyrus Episcopus Alexandrinus; quorum impietas in sexta Vniuersali sancta Synodo, hac de causa Constantinopoli congregata; à sanctis Patribus damnata fuit. Ceterum, vt fratres nostri desideratissimi Chaldæi intelligant, quibuscum habeant communionem, defendentes vnitatem voluntatis, atque operationis in Christo; & quàm impossibile sit conuenire cum Ecclesia sancta Catholica; describamus Monothelitarum dogma, vt à Macario Episcopo Antiocheno fuit expositũ, professione suæ impietatis; quam Imperatore Constantino in Concilio residente, atque interrogãte eundem Macarium de fide sua; audientibus Patribus, proprio ore exposuit; ac similiter libello eiusdem blasphemæ professionis, eidem Imperatori ab ipso Macario oblato; vt in ipso possint Chaldæi recognoscere similitudinem, immò potius identitatem communis erroris. Postmodum sanctorum Patrum sententiam adijciemus; qua commoti, alacrius execrandum dogma, vt confidimus; detestentur.

PRO-

PROFESSIO NEFARII DOGMATIS vnius voluntatis, & vnius operationis in Christo: Habita à Macario Episcopo Antiocheno, in Concilio Patrum sextæ Vniuersalis sanctæ Synodi, ipso Imperatore præsente, & Macarium interrogante. Descripta ex Actis eiusdem Synodi, Actione octaua. Cap. XIX.

CONSTANTINVS *pijssimus Imperator dixit: Si placet vestræ sanctæ Synodo, adueniant codicilli testimoniorum, qui dudum porrecti sunt à Macario venerabili Archiepiscopo Antiocheno, qui & à vobis sigillati sunt; vt legantur, & conferantur cum authenticis codicibus, qui repositi sunt in hìc sito venerabili Patriarchio. Sancta Synodus dixit: Quod & nunc à vestra Serenitate piè iussum est, fiat. Et prolati sunt per Photinum magnificum à secretis, & Imperialem Secretarium codicilli tres sigillati: qui & dati sunt, & oblati assistenti Macario venerabili Archiepiscopo Antiochiæ; vt recognosceret, si ipsi sunt, qui ab eo dudum fuerant prolati codicilli. Quos in manibus accipiens, & inspiciens idem venerabilis Macarius, dixit: Etiam verè ipsi sunt, & recognosco eos. Constantinus pijssimus Imperator dixit: Edicat Macarius venerabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & Stephanus religiosus presbyter & Monachus, eius discipulus, quid sibi coaceruantes, huiusmodi deflorauerunt*

testimonia. Macarius sanctissimus Archiepiscopus dixit: De ipsa una voluntate, quæ est Patris, & Domini nostri Iesu Christi, & sancti Spiritus. Constantinus pijssimus Imperator dixit: De dispensatione Domini nostri Iesu Christi, unius sanctæ Trinitatis Dei Verbi, quomodo sentitis? Macarius venerabilis Archiepiscopus dixit: Confiteor, Dominum Iesum Christum unum sanctæ Trinitatis esse; & post incarnationem in duabus perfectis naturis inconfuse, & indiuisè in una persona, & una subsistentia; nusquam naturarum differentia perempta, propter unitionem; sed saluata potius proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, & unam subsistentiam concurrente. Quoniam verò alteram personam, & post humanationem unius sanctæ Trinitatis non assumpsit; propter hoc nec aliquid peccati dicimus eum assumpsisse; quia absque carnalibus voluntatibus, & cogitationibus humanis, in imagine nouitatis confitemur unum Dominum nostrum Iesum Christum. Qui enim unam voluntatem habens, est ad susceptionem harum omnium passionum idoneus; unam, eandemq; habuit virtutem ad tolerantiam horum omnium, secundum sanctum, & acceptabilem Augustinum. De hoc enim & confessionem Fidei iam pridem exposuimus, & consentimus tàm sanctis quinque Synodis, quàmque Honorio à Deo erudito, Sergio, Paulo, atque Petro, & reliquis, quorum mentionem & in his, quæ Domino porreximus testimonijs, fecimus: confitentes unam voluntatem subsistentialem in uno Domino nostro Iesu Christo, & Deiuirilem eius operationem. Nec enim quæ diuina sunt, secundum Deum, neque quæ humana sunt, secundum hominem; sed humanam, & Dei nouam quandam Deiuirilem operationem

tionem in conuersatione demonstrasse confitemur, secundum sanctum Dionysium. Constantinus pijssimus Imperator dixit: Confessio, cuius mentio facta est, quòd data sit nobis à Macario Archiepiscopo Antiochiæ, propriæ eius Fidei lectione pandatur. Et prolata est per Photinum à secretis, & Imperialem Secretarium: & relecta est per Diogenem à secretis, & Imperialem Secretarium; quæ continet in verbis ita:

Pacis Dei, quæ exuperat omnem sensum, summa est pietas, per quam vno ore, vnoq; corde Deo viuenti, & vero, Trinitati seruientes, tenemus confessionem, pace Dei constricti. Hac non ab homine, neque per hominem, sed diuina gratia, ò fidelissime Imperator, instructus; cetera omnia inferiora ponens, vt condecebat diuinum, sacrumq; fastigium; diuinum zelum, qui tibi inditus est, exacuisti: & Ecclesiæ oculos suscitans, Pontifices, inquam, inuitas vnumquemque, vt quod in eo est, orthodoxiæ proferat lumen, quatenus fulgeat amplius in mundo. Annuat tibi quoque Deus, temporibus pij tui Imperij, Christianissimæ prædicationis indeficiens lumen; & hæreticorum nouæ caligines extinguantur. Obedio quippe præparatus, Deo placito vestro consilio. Quis ego sum, Domine à Deo decrete, vilis, & abiectus, nec apparens, & in pauimento reiacens? Dicam quoque, immeritus terribili seruire, atque assistere tribunali. Verum à vobis dignus habitus, hanc professionem facio Fidei, quam Patres nostri, qui in Nicæa, & dehinc fuerunt; promulgauerunt: cum qua genitus, & edoctus sum, cum hac & abscedam. Credo igitur in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, filium eius vnigenitum, qui ex eo natus est ante omnia sæcu-

la: Deum verum ex Deo vero, perfectum Filium, perfectum Patris Verbum, efficacem Sapientiam, essentialem virtutem, totius creaturæ factorem. Et in Spiritum sanctum, ex Patre procedentem, & per Filium manifestatum, videlicet hominibus; vitam viuentium causam; immortalem sanctitatem, totiusq; sanctificationis largitorem. Trinitatem perfectam gloria, & æternitate, & imperio, & consilio non diuisam; vnã Deitatem, & dominationem. Nihil enim seruili in Trinitate, vel subiectum, & introductitium; tanquã prius quidem non extitisset, post verò intromissum. Neque enim deficit Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed inconuertibilis semper, & consubstantialis sancta Trinitas Deus noster. Deum verò cum dico, vno lumine illustror, & tribus. Tribus quidem secundum proprietates, siue subsistentias, & personas: vno verò secundum essentiæ rationem, idest Deitatis. Diuiditur quippe indiuisibiliter, vt ita dicam; & coniungitur diuisibiliter. Vnum nempè in tribus ipsa Deitas; & ipsa tria vnum, in quibus Deitas, siue (vt expressius dicatur,) quæ est Deitas. Et neque ipsam Vnitatem, confusionem opinamur; neque ipsam diuisionem, alienationẽ. Absit à nobis ex æquo & Sabellij confusio, & Arij diuisio, quæ è regione mala sunt, & similia quidem impietate. Quid enim est opus aut Deum confundere malè, aut concidere in inæqualia? Nobis verò vnus Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia: vnus hæc tria Deus, & hæc tria vnum, sicut diximus. Confitemur autem, vnum sanctæ Trinitatis Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, propter nos in vltimis diebus descendisse de cœlis, & incarnatum esse de Spiritu sancto, & sancta,

imma-

immaculatáq; domina nostra Dei Genitrice, semperq; Virgine Maria; & humanatum esse, hoc est veram carnem accepisse de ea, animatam anima rationali, atque intellectuali: & hanc nullo modo ante hoc subsistentem, mirabiliter in seipso formasse; & hanc, propriam, per vnitionem dispensatiuam feciſſe; non ex semine humano, vel operatione viri extitiſſe, neque ex voluntate carnis; sed operatione, & volũtate virtutis Altiſſimi Dei. Ait enim Angelus ad gloriosam, & verè Dei Genitricem: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Ex hoc quippe solum, Dei Genitricem propriè, atque secundum veritatem, Dei Verbi Virginem Matrem glorificamus; quoniam, qui præerat Deus super naturam, ex se peperit incarnatum: & ita factus est secundum nos humanatus Deus Verbum, vt non quod erat amitteret: sed sicut factus est in assumptione carnis, & sanguinis, ita quoque manſit quod erat Deus; natura scilicet, & veritate. Nec enim carnem dicimus in Diuinitatis transire naturam; neque iterum in naturã carnis ineffabilem Dei Verbi deriuari naturam: sicut Apollinarius, Eutyches, & Seuerus impudenter asseruerunt. Nusquam enim propter vnitionem differentia naturarum euanescit. Saluatur autẽ magis proprietas vtriusque naturæ in vna persona, vnáq; subsistentia. Vnitum quippe esse carni secundum subsistentiam confitentes Verbum, vnum illum adoramus, Filium vnigenitum, verum Deum, Dominum omnium Iesum Christum, in duabus naturis inconfusè, & indiuisè cognoscendum; non per partes ponentes, ac segregantes hominem, & Deum: neque illum operatum quidem fuisse miracula; hũc verò passum fuisse quæ humana sunt, sicut diuidentes

dentes Theodorus & Nestorius dicunt: sed unũ, eundemq́, confitemur Deum, & hominem perfectum, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem: eiusdẽ utraſque natiuitates prædicantes, tàm quæ ante ſæcula ex Patre ſecundũ Deitatẽ; quàm quæ in ultimis diebus ex Maria Virgine Dei Genitrice, ſecundum humanitatẽ; eiuſdem miracula, & paſſiones, & omnem ſimul Deo decibilem, atque homini condecentem operationem, ex eodem uno Chriſto Deo noſtro, & conuenienter, noua ratione proceſſiſſe credimus. Neque enim quæ diuina ſunt, ſecundum Deum: neque rurſus, quæ ſunt hominis, ſecundum hominem: ſed humanatus Deus Verbum, nouam quandam Deiuirilem operationem, & hanc totam uiuificatricem demonſtrat. Tametſi nouum uidetur, & perturbat aliquorum auditus, ſuſpicantium, in peremptionem hanc nos proferre earum, quæ in Chriſto Domino noſtro ſunt, inconfuſè, & ſecundum ſubſiſtentiam, adunatarum duarum naturarum: quod non eſt unquam, nec fiat. Vnum igitur, eundemq́, operatum fuiſſe dicimus; id eſt, mirè operatum eſſe ſalutem noſtram: eundemq́, paſſum propria carne, & omnes uerè ſuſtinuiſſe ſalutares paſſiones, idem eſt dicere, & miracula; ut ſit quidem carnis, pati, non ſeparatæ uidelicet à Diuinitate, quamuis non Diuinitatis fuit pati; ipſius autem Dei operatio, quamuis per humanitatem eius, hoc eſt, totam noſtram conſperſionem hanc adimpleuerit, una, & ſingulari uoluntate diuina; utpotè non exiſtente in eo & alia uoluntate, ſiue obſiſtente, & aduerſante diuinæ eius, & potenti illius uoluntati. Impoſſibile autem eſt, in uno, eodemq́ Chriſto Deo noſtro duas ſimul, & ad inuicem contrarias, ſeu diſſimiles exiſtere uoluntates. Salutaris uerò à

Deo

Deo instructorum Patrum doctrina manifestè instruit, quia nunquã intellectualiter animata Domini caro, diuise, atque ex proprio appetitu, vniti sibi subsistẽtialiter Dei Verbi naturalem sui feciſſet motionem: ſed quando, & quantam, & qualem idem Deus Verbum volebat: & vt clarius dicatur; quemadmodum noſtrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima noſtra; ita & in Domino Chriſto tota humana eius conſperſio, ab eiuſdem Verbi diuinitate ſemper, & in omnibus mota, Deo mobilis erat, ſecundum Nyſſenum Gregorium, dicentem aduerſus Eunomium ita: Secundum quod Deus eſt, Filius impaſſibilis eſt per omnia, & immortalis. Si autem paſſio de eodem in Euangelio dicatur; per humanitatem, quæ per omnia paſſionis eſt capax, hoc operatus eſt. Operatur enim verè Diuinitas per corpus, quod circa eam eſt, omnium ſalutem: vt corporis quidem ſint paſſiones, Dei verò operatio, per quã & ſaluati ſumus; & huiuſmodi ſaluti nullam introducimus diuiſionem. Semel enim moriens, & multorum abluens peccata, redemptionem, & ſalutem ex ſeipſo nobis, qui iam in peccatis ſumus, acquirens; reſurrexit, & conſuſcitauit, & viuificauit nos, pacem perpetuam donans: aſcendensq; in cœlos, ſedet ad dexteram Patris eius. Et iterum veniet cum gloria iudicaturus viuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis. Speramus enim reſuſcitari omnes, & diuino aſſiſtere tribunali, vt percipiat vnuſquiſque iuſtam ab eo retributionem, finem non habituram. Neceſſariè verò & illud adijcimus: aſſerentes quippe mortem, quoad carnem vnigeniti Filij Dei, ideſt Ieſu Chriſti, & ex mortuis aſcenſum, & in cœlos aſſumptionem confitentes; incruentum ſacrificium in Eccleſiis celebramus. Ita quippe accedimus ad benedi-

nedictiones arcanas, & sanctificamur, participes effecti, tàm sanctæ carnis, quàmq; præcioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtri Saluatoris: & non vti communem carnem ſuſcipimus, abſit: neque iterum vt viri ſanctificati, & copulati Verbo per vnitatem dignitatis, ſiue vt diuinam inhabitationem habentis; ſed ſicuti verè viuificatricem, & propriam Verbi: Vita enim eſt naturaliter, vt Deus. Quia ergo factus eſt vnum ad carnem ſuam, viuificam eam demonſtrauit. Vnde cùm dicit ad nos: Amen, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem. Non ſicut hominis vnius ex nobis, & ipſam æſtimamus eſſe: quomodo enim hominis caro viuificare poterit, ſecundum propriam ſui naturam? Sed vt verè propriam Filij Dei, qui pro nobis etiam factus filius hominis eſt, & appellatus. Ceterum voces Saluatoris noſtri, quæ in Euangelijs ſunt, neque ſubſiſtentijs duabus, neque perſonis partimur. Sed tàm humanas, ad hæc & diuinas ab vno dictas recipimus, rectè ſentientes. Vni igitur perſonæ vniuerſas voces, quæ ſunt in Euangelio, deputare oportet, vni ſubſiſtentiæ Verbi incarnati. Deus enim vnus eſt Ieſus Chriſtus, ſecundum Scripturas. Hæc ſapere ſumus edocti à ſanctis Apoſtolis, & Euangeliſtis; ab omni quoque à Deo inſpirata Scriptura; & à vera confeſſione beatiſſimorum Patrum eorum, qui in Nicæa & Conſtantinopoli, & deinceps, ideſt ſanctarum, & vniuerſalium quinque Synodorum: in quibus & epiſtolæ ſanctorum Cyrilli, & Leonis, & quæq; prædicauerunt, & ſuſceperunt, ſuſcipimus, & prædicamus: & quæq; abiecerunt, & nos anathematizamus; & omnem hæreſim à Simone vſque in præſens, præcipuè Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Sabellium, Nouatum, & Sabbatium,

batium, Diodorum, & Nestorium, Eutychem quoque, Dioscorum, & Seuerum, & Iulianum, & ignorantem Themistium, & omne eorum profanum consortium; Origenem quoque, & Didymum, & Euagrium, & fabulosa eorum deliramenta. Ad hæc anathematizamus, & quos sancta quinta Synodus abiecit: Theodorum, inquam, Mopsuestenum, maledictum illius Maximi hæreseos, diuisionisq; doctorem: & impia Theodoreti scripta, quæ aduersus orthodoxam Fidem, & duodecim capitula beati Cyrilli: & epistolam, quæ dicitur ab Iba scripta fuisse ad Marim Persam. Super his etiam omnibus hæreticis, & cum, qui his subortus est, Maximum nefandum, cum eius discipulis; qui manichæizare, & proijcere corpus Christi Domini nostri ille paganus edocebat: & impium diuisionis eius dogma, quod & olim nostri Patres respuerunt; idest, Honorius, Sergius, & Cyrus, & reliqui Ecclesiarum doctores; ad hæc etiam, & piæ memoriæ Heraclius proauus vester, cuius prosapiam Deus Orthodoxiæ, huic pio Imperio assignauit: cum indignatione quippe cum sanctis Patribus nostris etiam ipse exortam hanc Maximianorum hæresim condemnauit. Quos secuta & ea, quæ hìc facta est per iussionem piæ memoriæ patris vestri, sancta Congregatio; Petrus quoque sanctissimus, & vniuersalis Patriarcha; & præcessor meæ paruitatis Macedonius beatæ memoriæ; & Vicarius Alexandriæ Theodorus; præsentibus vna cum eis & qui aduenerant, Episcopi, & sacro senatu, quæ circa eum fuerant, in scripto discutientes; hunc anathematizauerunt, & exilio damnauerunt, cum impijs eius discipulis. Sed vniuersos hæreticos apud se anathematibus congemiscere derelinquens, iterum conuertor ad Dominum, & ab eo conseruari vestram pietatem

expo-

expoſco, quæ orthodoxiæ ſermonem corroborat. Vos enim cum ſitis & à proauis luminaria Fidei, luminaria Fidei Domine illuſtra. Orthodoxiæ cuſtodes, Domine cuſtodi. Deus exaltet cornu veſtrum; Deus pacificet Imperium veſtrum, perſequens omnem hoſtem, & pacem profundam Eccleſiis, & vniuerſo Mundo condonans. Et ſubſcriptio. Macarius miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos, dictans omnem ſupradictum Orthodoxiæ textum, iuxta editiones ſanctarum, & vniuerſalium quinque Synodorum, & ſanctorum probabilium Patrum, qui nominatim à me poſiti ſunt; qui explanauerunt iuxta præfixam virtutem, vnã voluntatem in vno Domino Ieſu Chriſto Deo noſtro, qui Deiuirilem demonſtrauit nobis ſuam operationem. Et quia impium ſit dicere, in eodem Chriſto Deo noſtro duas voluntates; conſentiens, atque confeſſus, & ita ſentiens, & docens, & ſperans aſſiſtere terribili Dei tribunali, vna cum hac mea orthodoxa Fide; ſubſcripſi.

Conſtantinus pijſſimus Imperator, & ſancta Synodus dixerunt: Per tenorem oblatæ confeſſionis à Macario Deo amabili Archiepiſcopo Antiochiæ, Fidei eius agnitionem accepimus. Edicat autem idem Deo amabilis Macarius, ſi conſentit teſtimonijs ab eo prolatis, & porrectis. Macarius ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Vtique Domine. Conſtantinus pijſſimus Imperator, & ſancta Synodus dixerunt: Proſequatur idē Deo amabilis Macarius, ſi confitetur duas naturales volũtates, & duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti? Macarius venerabilis Archiepiſcopus dixit: Non dico duas naturales volũtates, aut duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Dñi noſtri Ieſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.

Ha-

Hactenus professio impij dogmatis Macarij de vna voluntate, & operatione Christi Domini nostri. Nunc videamus sanctorum Patrum Synodalem sententiam.

DEFINITIO ORTHODOXÆ Fidei: Facta in Regia Vrbe, temporibus pijssimi, atque tranquilissimi Domini nostri Constantini Magni, Victoris Imperatoris. Descripta ex Actis sextæ Vniuersalis sanctæ Synodi, actione xvij.

Cap. XX.

PRAESENS *sancta vniuersalis Synodus, fideliter suscipiens, & expansis manibus amplectens tàm suggestionem, quæ à sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est, ad Constantinum pijssimum, atque fidelissimum nostrum Imperatorem; quæ nominatim abiecit eos, qui docuerunt, vel prædicauerunt (sicut superius dictum est) vnam voluntatem, & vnam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri; eidemque amplexa est & alteram synodalem suggestionem, quæ missa est à sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa, centum vigintiquinque Deo amabilium Episcoporum, ad eius à Deo instructam tranquillitatem; vtpotè consonantem sancto Chalcedonensi Concilio, & tomo sacerrimi, ac beatissimi Papæ eiusdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus est ad sanctum Flauianum; quem columnam rectæ*

Fidei

Fidei, huiusmodi Synodus appellauit: ad hæc, & synodicis epistolis, quæ scriptæ sunt à beato Cyrillo aduersus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos. Assecuti quoque sancta quinque vniuersalia Concilia, & sanctos, atque probabiles Patres, consonanterq; confiteri definientes Dominum nostrum Iesum Christum, Dominum verum nostrum, vnum de sancta, & consubstantiali, & vitæ originem præbente Trinitate; perfectum in Deitate, & perfectum eundem in humanitate; Deum verè, & hominem verè; eundem ex anima rationali, & corpore; consubstantialem Patri secundum Deitatem; & consubstantialem nobis secundū humanitatem: per omnia similem nobis absque peccato; ante sæcula quidem ex Patre genitum, secundum Deitatem; in vltimis diebus autem eundem propter nos, & propter nostram salutem de Spiritu sancto & Maria Virgine propriè, & veraciter Dei Genitrice; secundum humanitatem. Vnum eundemq; Christum, Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, inseparabiliter, indiuisè cognoscendum; nusquam extincta harum naturarum differentia propter vnitionem: saluataq; magis proprietate vtriusque naturæ; & in vnam personam, & in vnam subsistentiam concurrentem. Non in duas personas partitum, vel diuisum; sed vnum, eundemq; Filium Vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum; iuxta quod olim Prophetæ de eo, & ipse nos Dominus Iesus Christus erudiuit, & sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum: & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundū sanctorum Patrum doctrinam, adæquè prædicamus: & duas naturales voluntates; non contrarias,

absit;

(absit;) iuxta quod impij asseruerunt hæretici: sed sequentem eius humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem; sed potius & subiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim, carnis volũtatem moueri, subijci verò voluntati diuinæ, iuxta sapientissimũ Athanasium. Sicut enim eius caro, caro Dei Verbi dicitur, & est; ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei Verbi dicitur, & est; sicut ipse ait: Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris; suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius. Nã & caro propria eius facta est. Quemadmodum enim sanctissima, atque immaculata animata eius caro deificata, non est perempta; sed in proprio sui statu, & ratione permansit: ita & humana eius voluntas deificata, non est perempta; saluata est autem magis, secundum Deiloquum Gregorium, dicentem: Nam illius velle, quod in Saluatore intelligitur, non est contrarium Deo; deificatum est totum. Duas autem naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inconfusè, inseparabiliter in eodem Domino nostro Iesu Christo, vero Deo glorificamus: hoc est, diuinam operationem, & humanam operationem, secundum diuinum prædicatorem Leonem, apertissimè asserentem: Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ: vt neque quod creatum est, in diuinam educamus essentiam; neque quod eximium est diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deijciamus. Vnius enim, eiusdemq; tàm miracula, quàm passiones cognoscimus, secundum aliud, & aliud earum, ex quibus est, naturarũ, & in

quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndique igitur inconfusum, atque indiuisum conseruantes, breui voce cuncta proferimus; vnum sanctæ Trinitatis, & post Incarnationem Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum nostrum esse credentes: asserimus duas eius esse naturas, in vna eius radiantes subsistentia; in qua tam miracula, quam passiones, per omnem sui dispensatiuam conuersationem; non per phantasiam, sed veraciter demonstrauit, ob naturalem differentiam in eadem vna subsistentia cognoscendam; dum cum alterius communione, vtraque natura indiuisè, & inconfusè propria velit, atque operetur: iuxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad salutem humani generis conuenienter in eo concurrentes. His igitur cum omni vndique cautela, atque diligentia à nobis formatis: Definimus, aliam Fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componere ve, aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui verò præsumpserit Fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate, vel Iudaismo, aut ex qualibet hæresi: aut qui nouitatem vocis, vel sermonis adinuentionem, ad subuersionem eorum, quæ nunc à nobis determinata sunt, introducere: horum, siquidem Episcopi fuerint, aut Clerici; alienos esse, Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos verò à Clero: sin autem Monachi fuerint, vel laici: anathematizari eos.

Et subscriptiones.

Theodorus humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter beatissimi, & Vniuersalis Papæ Vrbis Romæ, subscripsi.

Geor-

Georgius humilis Presbyter, sicut supra.

Ioannes humilis Diaconus, sicut supra.

Georgius, misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ, definiens subscripsi.

Petrus misericordia Dei Presbyter, & locum seruans Apostolicæ Sedis Alexandrinæ magnæ Ciuitatis, subscripsi.

Theophanes misericordia Dei Episcopus Theopoleos (ideſt Antiochiæ), *definiens subscripsi.*

Georgius humilis Presbyter, & locum gerens Theodori Deo amabilis Presbyteri, & loci seruatoris Apostolicæ Sedis sanctæ Christi Dei nostri Hierosolymorum Ciuitatis, subscripsi.

Ioannes misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis, & Vicarius Apostolicæ Sedis Romæ, & Legatus, definiens subscripsi.

Theodorus misericordia Dei Episcopus Ciuitatis Thremethuntenæ Insulæ Cypri, & locum gerens Epiphanij sanctissimi Archiepiscopi, definiens subscripsi.

Theodorus humilis Presbyter sanctæ Rauennatis Ecclesiæ, locum gerens Theodori beatissimi Archiepiscopi, subscripsi.

Eodem modo subscripserunt alij centum quadraginta octo Episcopi.

CHALDÆORVM DOGMATA cum veritate Catholica concordari non posse; & impossibile esse, duas in Christo personas ponere, & simul Virginem sanctissimam, verè Dei Matrem appellare. Cap. XXI.

HACTENVS quæ arbitrabamur necessariò proponenda esse Chaldæis, ex sacrorum Conciliorum Vniuersalium decretis, antequam agere inciperemus de illorum dogmatibus. Nec dubitamus, quin satis manifestè appareat, quàm decipiantur, qui dicunt: diuersitatem, quæ inter nostram, Chaldæorumq; Fidem intercedit; in ceremonijs tantum, atque ritibus consistere: vel qui existimant, non reiectis omnino primum Nestorij, Theodori, atque Macarij erroribus; eos vnum, idemq; de Fide nobiscum sentire; verba, non sensum verborum, tantummodo differre. Profectò qui hæc dicunt, aut prorsus ignorant horum damnatissimorum hæreticorum peruersa dogmata; aut, quod facilè nobis persuademus, nunquam legerunt acta sanctorum Conciliorum, atque decreta. Sed quando etiam adeò manifesta sanctorum Conciliorum non refragaretur auctoritas; vel res ipsa, paulò diligentius considerata, falsitatem huius opinionis facilè detegeret. Dicentibus enim, duas in Christo fuisse personas, repugnat omnino sanctissimam Virginem, Dei Genitricem appellare. Etenim, si quemadmodum duæ sunt in Christo naturæ, duæ simul fuissent personæ, Virgo nunquam Deum, (vt Ecclesia

sancta

sancta Catholica credit, & confitetur;) sed purum hominem peperisse. Ex duabus namque personis vnum fieri nullo pacto potest. Est enim persona, incommunicabilis vniuscuiusque subsistentia. Nam (vt inquit sanctus Basilius Magnus, in epistola de differentia substantiæ & hypostasis, ad Gregorium eius fratrem;) hypostasis, siue persona circumscribit, & sistit, proprietatibus mediantibus, quod in vnoquoque commune, & incircumscriptum est naturæ: hoc est, naturam communem proprietatibus determinat, vt in se subsistat, & ab alio distinguatur. Verba sancti Basilij sunt hæc: *Hypostasis est notio, quæ mediantibus apparentibus proprietatibus, quod commune est, & incircumscriptum substantiæ, in vnoquoque subiecto sistit, atque circumscribit.* Et quidem, quod sanctus iste Pater inquit, re ipsa cùm in humanis, tùm in diuinis personis comprobatur. Ostendit hoc idem sanctus Basilius eodem loco, auctoritate sanctæ Scripturæ, ex principio historiæ sancti Iob. Inquit enim: *Est autem hoc consuetum Scripturæ, & in alijs multis, & præsertim in historia Iob. Etenim cum deberet narrare, quæ ad ipsum pertinebant; primum cum meminerit, quod commune erat, dicens,* Homo; *statim illud diuidit eo, quod proprium facit; appositione nempe articuli,* Quidam: *tacuit autem descriptionem substantiæ, tanquam nihil afferentem vtilitatis, ad instituti sermonis scopum assequendum. Et illud,* Quendam, *proprijs etiam indicijs designat: locum dicens, & mores, & quæcumque extrinsecus accepta, ipsum separare, ac distinguere poterant à communi significatione; vt ex omnibus manifesta fieret descriptio illius, de quo instituta erat historia:*

CHALDÆORVM DOGMATA cum veritate Catholica concordari non posse; & impossibile esse, duas in Christo personas ponere, & simul Virginem sanctissimam, verè Dei Matrem appellare. Cap. XXI.

HACTENVS quæ arbitrabamur necessariò proponenda esse Chaldæis, ex sacrorum Conciliorum Vniuersalium decretis, antequam agere inciperemus de illorum dogmatibus. Nec dubitamus, quin satis manifestè appareat, quàm decipiantur, qui dicunt: diuersitatem, quæ inter nostram, Chaldæorumq; Fidem intercedit; in ceremonijs tantum, atque ritibus consistere: vel qui existimant, non reiectis omnino primum Nestorij, Theodori, atque Macarij erroribus; eos vnum, idemq; de Fide nobiscum sentire; verba, non sensum verborum, tantummodo differre. Profectò qui hæc dicunt, aut prorsus ignorant horum damnatissimorum hæreticorum peruersa dogmata; aut, quod facilè nobis persuademus, nunquam legerunt acta sanctorum Conciliorum, atque decreta. Sed quando etiam adeò manifesta sanctorum Conciliorum non refragaretur auctoritas; vel res ipsa, paulò diligentius considerata, falsitatem huius opinionis facilè detegeret. Dicentibus enim, duas in Christo fuisse personas, repugnat omnino sanctissimam Virginem, Dei Genitricem appellare. Etenim, si quemadmodum duæ sunt in Christo naturæ, duæ simul fuissent personæ, Virgo nunquam Deum, (vt Ecclesia

sancta

sancta Catholica credit, & confitetur;) sed purum hominem peperisset. Ex duabus namque personis vnum fieri nullo pacto potest. Est enim persona, incommunicabilis vniuscuiusque subsistentia. Nam (vt inquit sanctus Basilius Magnus, in epistola de differentia substantiæ & hypostasis, ad Gregorium eius fratrem;) hypostasis, siue persona circumscribit, & sistit, proprietatibus mediantibus, quod in vnoquoque commune, & incircumscriptum est naturæ: hoc est, naturam communem proprietatibus determinat, vt in se subsistat, & ab alio distinguatur. Verba sancti Basilij sunt hæc: *Hypostasis est notio, quæ mediantibus apparentibus proprietatibus, quod commune est, & incircumscriptum substantiæ, in vnoquoque subiecto sistit, atque circumscribit.* Et quidem, quod sanctus iste Pater inquit, re ipsa cùm in humanis, tùm in diuinis personis comprobatur. Ostendit hoc idem sanctus Basilius eodem loco, auctoritate sanctæ Scripturæ, ex principio historiæ sancti Iob. Inquit enim: *Est autem hoc consuetum Scripturæ, & in alijs multis, & præsertim in historia Iob. Etenim cum deberet narrare, quæ ad ipsum pertinebant; primum cum meminerit, quod commune erat, dicens,* Homo; *statim illud diuidit eo, quod proprium facit; appositione nempe articuli,* Quidam: *tacuit autem descriptionem substantiæ, tanquam nihil afferentem vtilitatis, ad instituti sermonis scopum assequendum. Et illud,* Quendam, *proprijs etiam indicijs designat: locum dicens, & mores, & quæcumque extrinsecus accepta, ipsum separare, ac distinguere poterant à communi significatione; vt ex omnibus manifesta fieret descriptio illius, de quo instituta erat historia:*

videlicet, ex nomine, ex loco, ex animi proprietatibus, & ex his, quæ extrinsecùs de ipso cognoscebantur. Quòd si de substantia sermonem haberet; nulla vtique eorum, quæ dicta sunt, mentio fieret in explicatione naturæ. Siquidem erat eadem ratio, & in Baldad Suhites, & in Sophar Naamathites, & in vnoquoque hominum ibi memoratorum. Igitur differentiæ rationem, quam nouisti substantiæ, & personæ in nobis; eamdem si ad diuina transtuleris, non aberrabis. Ergo ex huius sancti Patris doctrina, vt natura vnit, sic persona separat; idq; tum in humanis, tum in diuinis. Verùm hæc separatio in diuinis, citra diuisionem est: persona, quippe diuina distinguit, non diuidit. Nam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus; licet Pater non sit, qui Filius; nec Filius, qui est Spiritus sanctus; nec Spiritus sit Pater, aut Filius: ita vt in personis proprietatem agnoscamus, & in natura vnitatem adoremus. Quapropter Theologi recentiores distinctionem hanc diuinarum personarum sine diuisione ostendere volentes; illam oppositione relatiua originis declarant; demonstrata prius summa, perfectissimaq; diuinæ naturæ vnitate, ex simplicitate incomparabili diuinæ essentiæ, & æqualitate Maiestatis, gloriæ, omnipotentiæ, æternitatis, immensitatis, ceterorumq; quæ de Deo absolutè dicuntur. Vna enim, eademq; est Patris, Filij, & Spiritus sancti diuinitas; æqualis gloria; coæterna maiestas. Ac similiter increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus: immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus: æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus: omnipotens Pater, omnipotens Filius,

lius, omnipotens Spiritus sanctus: & propterea hi tres vnum sunt, sancta Trinitas, vnus Deus. Sed quia Pater generat, & Filius est genitus; & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit, tanquam ab vno, eodemq; principio: Et qui genitus est, alius verè est ab eo, qui generat; & qui procedit, similiter est alius ab ijs, ex quibus procedit; distinguuntur enim ad inuicem, secundum principium, & secundum quod à principio; hoc est relatione vera, & non secundum rationem tantum; fundata nempè oppositione originis: ideò tres personæ in diuinis verè distinctæ sunt inter se, ac verè vnum sunt: distinguuntur itaque, & non diuiduntur. Sed in humanis ex persona, id est ex concursu proprietatum; natura communis maximè diuiditur: hominis enim species diuiditur in plures, singularesq; homines numero differentes: Petrus namque à Paulo, & Ioannes ab vtrisque diuiditur ratione proprietatum personæ, cum eorum natura vna sit, atque eadem. Igitur personæ, separare, ac diuidere, proprium est. Quod si hoc de personis, quæ sunt vnius, eiusdemq; naturæ, necessario affirmare debemus: quanto magis vbi personæ, & naturæ maximè differunt; vt mortale, & æternum; humanum, & diuinum? Quare si in Christo simul cum persona diuina, humana quoque persona extitisset; vnus verè, ac simpliciter non fuisset. Excluditur quippè vnitas, si adsit innata subsistendi per se vtriusque personæ proprietas; quæ salua ratione personarum remoueri ab ipsis neque re, neque cogitatione vnquam potest. Ergo nec Verbum caro factum esset: quo enim pacto fieri poterat, si persona humana, ne

vnum cum propria carne fieret, obsistebat? Nec Deus verè incarnatus, nec verè natus ex immaculata Virgine diceretur. Ad hanc impietatem ineuitabiliter adigit duarum in Christo positio personarum. Nec vnitas commentitia aspectus, siue speciei, quæ tantum corporeis se offert oculis; quam Chaldæi Parsopa vocant; diuisioni ex dualitate personarum necessario procedenti, resistit: sed externam tantum, & accidentalem coniunctionē ostendit. Quam vnitatem, vtpotè non contrariam diuisioni naturarum, quam impiè Nestorius in Christo ponebat; & ipsemet quoque in epistola ad Cyrillum admittit. Sic enim inquit: *Sentio promissam in proœmio loquendi breuitatem, frœno cohibitam, ad secundum caput epistolæ tuæ gressum dirigere: in quo naturarum diuisionem secundum humanitatis, atque diuinitatis rationem; & harum in vna dumtaxat persona, coniunctionem laudabam.* Et impium sensum, quo laudem dictis à Cyrillo tribuit, cum exposuisset; nonnullisq; alijs ad confirmationem nefarij sui dogmatis additis; subiungit: *Quapropter si rem diligentius consideremus: sacra Virgo, non Deipara, sed Christipara appellanda erit.* hactenus Nestorius. Igitur manifesta se implicat contradictione, qui personarum dualitatem in Christo tuetur, & beatissimam Virginem, Dei Matrem nominat. Reijciatur itaque importunum studium conciliandi inter se adeò repugnantes sententias: & veritas pura ac simplex, quam semel per beatos Apostolos à Spiritu sancto Ecclesia Catholica edocta, semper custodiuit; ab omnibus Christifidelibus vno ore, ijsdemq; verbis enuncietur. Non enim vna est Fides, nisi vna pariter sit cōfessio. Nam sicut cor-

de

de creditur ad iustitiam; ita ore fit confessio ad salutem.

Sanctorum Patrum doctrinam, diuinarum Scripturarum oraculis confirmatam, indubitabili Fide, puroq; corde retinentes; sanctissimam Mariam semper Virginem, Matrem Dei verè, simpliciterq; appellemus: & Filium eius vnigenitum Iesum Christum Dominum nostrum, vnum, eundemq; verum Deum, & verum hominem confiteamur. Vnum videlicet, non confusione, aut transmutatione diuinitatis, & carnis; sed vnitate vera, substantiali, indiuisibili, intrinseca personæ: ita vt quemadmodum anima rationalis, & corpus vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus. Hanc Fidei confessionem nos docuerunt trecenti decem, & octo Patres, Nicææ in Spiritu sancto congregati: qui professi sunt, credere in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium eius vnigenitum; ex Patre ante omnia sæcula, ex Matre in fine temporum natum. Vnum non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Sic enim definitionem Incarnationis Dei Verbi ijdem Patres exposuerunt, aduersus Paulum Samosatenum; vt habetur in Actis sanctæ vniuersalis Ephesinæ Synodi, parte tertia, cap. 5. In qua definitione illud animaduertere debemus: quòd sicut sancti Patres mentionem carnis facientes, non carnem simpliciter, sed animatam rationali anima intelligunt; ita, & de Spiritu loquentes, non spiritum intelligunt, quo nos homines viuimus; sed diuinitatem, quatenus diuina natura spiritualis est; & vt Deus dicitur spiritus: vt ab

eius

eius ineffabili, atque incomprehensibili puritate omnis ratio corporis, atque materiæ excludatur. Nam si Spiritum hoc in loco pro spiritu, qui communis nobis est, acciperetur; idest, pro anima rationali; vtique & caro, de qua Patres loquuntur, sine anima rationali, vt Apollinarius dicebat, intelligenda esset: quod veritati aduersaretur, & ipsorum sanctorum Patrum sententiæ, qui in hac eadem definitione dicunt, Christi Domini nostri personam constare ex diuinitate cœlesti, atque ex humana carne. Sed describamus totam definitionem. Verba sanctorum Patrum hæc sunt: *Confitemur Dominum nostrũ Iesum Christum, ex Patre quidem secundum Spiritum ante secula genitum; nouissimis diebus secundum carnem ex Virgine natum. Vnam personam compositam ex Diuinitate cœlesti, & humana carne; vnum quatenus homo est; & quidem totum Deum, & totum hominem. Totum sanè Deum cum corpore, sed non secundum corpus Deum. Et totum hominem cum diuinitate, sed non hominem secundum diuinitatem. Sic totum adorandum cum corpore, sed non adorandum secundum corpus. Totum adorantem cum diuinitate, sed non adorantem secundum diuinitatem. Totum increatum, etiam cum corpore, sed secundum corpus non increatum. Totum plasmatum etiam cum diuinitate, sed non secundum diuinitatem plasmatum. Totum consubstantialem Deo, etiam cum corpore; sed non secundũ corpus consubstantialem Deo: sicuti neque secundum diuinitatem hominibus consubstantialis est; quamuis nobis, secundum carnem, consubstantialis, etiam cũ diuinitate existens. Etenim quando dicimus ipsum consubstantialẽ Deo secundum Spiritum; non sanè dicimus consubstantialem*

lem

lem hominibus secundũ Spiritum. Et è contra, quando prædicamus ipsum consubstantialem hominibus, secundum carnem; non prædicamus ipsum, secundum carnem, consubstantialem Deo. Sicut enim non est nobis consubstantialis secundum Spiritum, quia secundum hunc consubstantialis est Deo: sic neque secundum carnem consubstantialis est Deo; quia secundum hanc, consubstantialis est nobis. Quemadmodum autem hæc distincta, & declarata sunt, non ad diuisionem vnius personæ indiuisibilis; sed ad declarationem impermixtionis proprietatum carnis, & Verbi: sic & ea, quæ ad indiuisibilem pertinent compositionem, prædicamus.

Quam expositionem vnitatis personæ, sine confusione vtriusque naturæ, etiam fuisse munitam à Patribus cõminatione anathematis; sanctus Athanasius, qui interfuit Synodo, auctor est in libro, quem ipse composuit de Incarnatione Dei Verbi: *Confitemur* (inquit) *esse eundem Filium Dei, & Deum, secundum Spiritum: filium hominis, secundum carnem.* Et identitate hac ex vnitate personæ, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, pluribus exposita; demũ concludit: *Si quis præter hæc ex sanctis Scripturis docet, affirmans alterum Filium Dei, & alterum ex Maria, per gratiam, Filium, sicut nos, factum; ita vt sint duo Filij, vnus secundum naturam Filius Dei, qui ex Deo; & vnus per gratiam, qui ex Maria est homo. Vel si quis carnem Domini nostri, è cælo, non ex Maria Virgine dicit; vel diuinitatem conuersam in carnem; vel confusam; vel mutatam; vel diuinitatem Domini passibilem; aut Domini nostri carnem, tanquam hominis, non adorandam: hunc anathematizat sancta Catholica Ecclesia.*

EVAN-

EVANGELICIS TESTIMONIIS, aliarumq; sanctarum Scripturarum auctoritatibus, Vnitas personæ Christi Domini nostri ostenditur: diuinæ humanæq; naturæ diuisio omnino ab ea remouetur.

Cap. XXII.

AT fortasse inaudita erat hæc veritas ante Nicænæ sanctorum Patrum conuentum. Immò verò, quid vnitate hac manifestius verè in Christo credentibus? Nonne Præcursor illius, statim ac Saluatorem digito primum ostendit hominibus; ipsum, eundemque, quem hominem videbant, Deum declarauit; dicens: *Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Et Fidei nostræ petra, ac fundamentum, Princeps Apostolorum Petrus, quando interroganti Domino respondit: *Tu es Christus Filius Dei viui*; alium fortè mente concipiebat ab eo, quem natum ex Maria sciebat, atque intuebatur? Et quomodo redemptos nos prætioso eius sanguine dixisset, ac regeneratos *in spem viuam ex mortuis, per resurrectionem eius, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem, conseruatam in cœlis*; nisi vnum, eundemq; fuisse Deum, & hominē, qui nos redemit, & regenerauit, indubitanter credere nos voluisset; cum sanguinem fundere, & mori, sit hominis;

minis; redimere ab æterna morte, ac regenerare in hæreditatem conseruatam in cœlis, sit Dei. Sed & discipulus ille, qui testimonium perhibet de his; & scimus, quia verum est testimonium eius; qui cum fluenta Euangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauisset; illud admirabile, *Verbum caro factum est*, ex intimo corde postea eructauit; planè vnitatem hanc personæ Verbi incarnati, non solum mentis nostræ oculis inspiciendam, sed manibus etiam corporeis palpandam exposuit: *Quod fuit ab initio*, (ait ille,) *quod audiuimus, quod vidimus, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis.* Et quidem, nisi carnem, Verbi esse propriam intellexisset; nunquam aliquid de Verbo vitæ se contrectasse asseruisset. Neque sanè id illi soli contigit; immò verò quando post resurrectionem suam Dominus discipulis apparuit, palpandum omnibus liberè se obtulit. *Palpate* (inquit) *& videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet.* Vbi illud maximè admirabile, quòd qui postea manum incredulus admouit, hominem tetigit, & agnouit Deum. Ceterum Doctor gentium, & veritatis prædicator Paulus Apostolus, factus electionis vas, vt nomen Domini portaret coram gentibus, ac Regibus, & filijs Israel; siue ministerium; quod accepit, euangelizandi Verbi Dei exponat; siue Fidem eorum, ad quos scribit, commendet; siue illos doceat, aut moneat; manifestè vnitatem personæ in Christo semper supponit: peculiariter tamen in epistola ad Hebræos, admirabili illa, mysterijq; plena comparatione

tione Domini nostri Iesu Christi, ad Melchisedech Regem Salem, Sacerdotem Dei summi; ipsam declarat. Quem sine patre, & sine matre, neque habentem initium dierum, neque finem cum dicat; illum assimilauit filio Dei. Et quomodo sine patre, & sine matre Filium Dei diceret; nisi vnum, eundemq; in vnitate personæ Deum & hominem intelligeret, & prædicaret Christum? Nam si duæ naturæ in ipso attendantur, Verbum Dei vtique Patre non caret, homo matrē planè habet. Remanet igitur, vt ex personæ vnitate in duabus naturis; sine patre, & sine matre dicatur. Sine patre quidem in terris, sine matre autem in cœlis. Sic & quia vna est Christi persona; & proprio Filio suo Deum non pepercisse dicit, & Filium se exinaniuisse. Non pepercit sanè Filio suo Deus, dum secundum carnem flagellandum, atque crucifigendum illum Iudæis tradidit.

Secundum carnem itaque, & non per adoptionem, est proprius Filius Dei. Qui verè non se exinaniuisset, nisi cum verus Deus sit, verus homo factus fuisset; vnus, idemq; in vna persona permansisset. Et ideò Apostolus, vtpotè de hac vnitate minimè dubius; quem crucifixum tamquam hominem prædicauit; Deum, distinctione à ceteris hominibus sola, atque simplici, ostendit. Sic enim ad Galatas scribit: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem; sed per Iesum Christum.* Ergo si non ab hominibus, neque per hominem; sed per Iesum Christum; dicendum est, quòd intelligere debeamus, per Iesum Christum; idest, per Deum. Et paulò infra: *Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est*

à me;

à me; quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per reuelationem Iesu Christi. Sed adhuc testimonium huius veritatis maius, quàm quod accepimus ab Apostolis, quærimus? Patrem æternum manifestè dicentem de homine, qui baptizabatur: *Hic est Filius meus dilectus*, audiamus: Vel potius Dominum nostrum Iesum Christum, semetipsum Deum verum, cœco à natiuitate mirabiliter a se illuminato, manifestantem. Cum enim illum Dominus interrogaret, crederet ne in Filium Dei? ille è contra scisciteret ab eo, quis nam Filius Dei esset? ipse, in cuius ore dolus nunquã inuentus est, respondit: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ille est.* Non alia profectò de causa, nisi quia secundum hanc personæ vnitatem, idem Deus, & homo est.

Diuinis itaque vocibus, Apostolicisq; documentis instructi, manifestam veritatem vnitatis personæ in Christo, inconfusis, immutatisq; permanentibus duabus eius naturis; omnes pariter, qui sincero corde profitentur Catholicam Fidem, confiteantur: & admonitione terribili B. Ioannis Apostoli, dicentis: *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*, perterriti; quamcũque non modo diuisionem, sed diuisionis in Christo suspicionem studeant euitare. Qua suspicione non caret illa nominum Verbi Incarnati distinctio in libello expositionis Fidei Orientalium posita: Quòd, Iesus, sit nomen humanitatis; Christus, nomen diuinitatis, & humanitatis; Dominus noster, nomen diuinitatis. Eadem enim hac nominum distinctione vsos fuisse Nestorium, & Theodorum comperimus; ad diuisionem naturarum, quam impiè in Christo

ponebant, insinuandam: cui distinctioni aduersatur planè sanctarum Scripturarum auctoritas. Nam, vt de admirabili, adorandoq; nomine Iesu tantummodo agamus: Nonne ab Angelo inditum præcepto diuino fuit, vt conceptus Altissimi Filius in vtero ab immaculata Virgine, suo tempore ex ea nasciturus, hoc nomine appellaretur? Nonne in nomine Iesu omne genu flectendum est, cœlestium, terrestrium, & infernorum? Et cui omnia genua flectenda, nisi Deo? Immò verò de ipso Christo Patres Niceni, in expositione definitionis Incarnationis Dei Verbi, nos docuerunt: *Quamuis totus adorandus sit Christus etiam cum corpore; non tamen secundum corpus adorandus.* Et Ioannes in Euangelio: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus Christus est Filius Dei: & vt credētes, vitam habeatis in nomine eius.* Neque tantummodo vita in nomine Iesu promittitur; sed, quod maius est donum, vt credentes in hoc diuino nomine, sint quoque Filij Dei: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Recipere vitam, & fieri Filiũ Dei, ex Fide, quam quis habeat in aliquo nomine; nomen illud demonstrat, esse diuinitatis, an humanitatis? Quamquam abundè sufficeret ad diuinitatem ostendendam nominis, quòd debeamus in ipsum credere: cum fides soli Deo debeatur.

DE

DE MYSTERIO VNITATIS personæ in Christo, magna cum modestia agendum esse; humanarumq; rationum importunam curiositatem vitandam. Cap. XXIII.

OPORTET igitur, omnes, qui de altissimo huius vnitatis mysterio dignè agere cupiunt; maxima cum circumspectione, atque reuerentia ad illud contemplandum accedere: & quantumuis in sanctarum Scripturarum lectione exercitatos; humanæ mentis imbecillitatem agnoscẽtes, fateri se impares tantæ speculationi. Propterea quando ad intelligendum Natiuitatis Christi sacramentum accedimus; *procul abigatur* (vt sapientissimè nos admonet sanctus Leo Papa) *caligo terrenarum rationum; & ab illuminato Fidei oculo, mundanæ sapientiæ fumus prorsus abscedat.* Nec sanè prohibet sanctissimus iste Pater, vt ex his quę facta sunt, & oculis nostris patent; intelligere inuisibilia Dei studeamus; sed vt vitemus illã sapientiam, de qua dixit Apostolus: *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.* Quæ non in ostensione spiritus, & virtutis; sed in persuasibilibus verbis consistit; qua hæretici decepti, à veritatis Euangelio recesserunt: & Incarnationem Verbi intelligere non valentes, de causa illuminationis, fecerunt sibi materiam cœcitatis: in quod incommodum incurrerunt, aut omninò non vitauerunt Chaldæi. Qui persuasibilibus hisce propositionibus acquiescentes: *Nulla natura est sine persona.* Et: *Na-*

tura ex persona demonstratur: nullaq; facta examinatione veritatis illarum; recesserunt à sanctorum Patrum doctrina de personis, atque naturis; hæreticorum commento de Parsopa recepto. Sed expendamus veritatem propositionum modò propositarum. Etsi nulla natura sine persona subsistere, & natura ex persona demonstrari dicatur; profectò non ob id sequitur, quòd vna ab altera dependeat; ideſt, quòd ex vnitate, aut multiplicitate vnius; vnitas, vel multiplicitas alterius inferatur. Neque enim quia vna est natura in diuinis, ideò quoque in diuinis est vna persona; vel quia sunt tres personæ diuinæ, ideò sunt tres diuinæ naturæ. Sed ab essentia, natura; & à subsistentia, persona determinatur. Quia igitur vna est essentia trium diuinarum personarum, vna est earum natura; & quia vna natura in tribus subsistentijs subsistit, ideò tres sunt personæ. Concurrentibus igitur duabus essentijs in vnicam subsistentiam; duę naturæ perfectæ in vna persona subsistunt. Humano vsu, & consuetudine, quod credimus caret: humanarum ergo rationum importuna curiositas reijciatur. Diuina auctoritas est, cui credimus; diuina est doctrina, quam sequimur. Hanc autem edocti, primum didicimus, Virginem sanctissimam Matrem Dei nulla mentis hæsitatione appellare; quamuis quomodo Deus factus sit homo, & ex Virgine natus; humanis rationibus nemo possit ostendere: Nam generationem eius quis enarrabit? Verè Matrem Dei dicimus, vt sectatorum Nestorij blasphemia omnino ab ore fidelium prohibeatur: nam & ipsi Virginem sanctissimam, Matrem Dei, sed non verè, dixerunt. Id ostendunt

verba

verba Theodoreti in reprehensione primi anathematismi aduersus Nestorium. Inquit autem, loquens de forma serui in Christo: *Quoniam non nuda erat à forma Dei, sed erat templum habens Deum Verbum inhabitãtem, secundũ Pauli vocem: In ipso enim, inquit, complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter: non hominis genitricem, sed Dei genitricem Virginẽ appellamus; illam quidem figmento, & formationi, & conceptui: hanc autem vnitioni imponentes appellationem.* Ex quibus Theodoreti verbis apparet, non sufficere, Virginem sanctissimam, Matrem Dei, appellare; sed oportere, verè Matrem Dei credere; hoc est, quòd ipsa pepererit vnica prole verum Deum, & verum hominem; non appellatione filiationis vnum, neque coniunctione indissolubili naturarum facta per gratiam; sed vnitate vera, atque substantiali vnius personæ. Cum itaque Beatissimam Virginem dici Matrem Dei hoc pacto, Catholica Ecclesia non permittat; mirari non debent Chaldæi, si illam appellari ab ipsis Matrem Christi non approbet; qui cum hac appellatione Matris, duas Filij personas defendunt. Non enim reprobatur nomen, quia & nos quoque immaculatam Virginem, Matrem Christi, vocamus; sed non recipimus eos, qui hoc nomine vtuntur, ad duas in Christo personas significandas.

DE DVABVS CHRISTI DOMINI nostri voluntatibus, & operationibus; deq; causa, qua decepti hæretici, vnicam voluntatem, atque vnicam operationem eius dixerunt. Cap. XXIV.

OMNIS itaque fidelium lingua confiteatur, sanctissimam, semperq; Virginem Mariam verè Dei Genitricem esse; & Dominum nostrum Iesum Christũ, natum ex ea; vnum, eundemq; Filium Dominum Vnigenitum, in duabus naturis, inconfusè, inseparabiliter, indiuisè, inconuertibiliter agnoscendum: nunquam sublata naturarum differentia per vnitatem, magisq; salua proprietate vtriusque naturæ; & in vnam personam, atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum, atque diuisum; sed vnum, eundemq; Filium Vnigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum; sicut post Ephesinam sanctam Synodum vniuersalem, etiam in omnibus vniuersalibus Concilijs sancti Patres semper credere professi sunt. Hinc duæ voluntates, & duæ operationes in Christo manifestè cognoscuntur; cum voluntas non à persona, sed à natura procedat; quod hæretici ignorauerunt, aut intelligere noluerunt. Et ideò quod debetur naturæ, tribuentes personæ; pari ignorantia, atque peruicacia vnicam fuisse volũtatem, atque operationẽ in Christo; dixerunt. Et quidẽ S. Agatho Papa illos irrefragabili ratione perstringit, in epistola, quã aduersus

hanc

hanc hæresim scripsit ad Constantinum Imperatorem, atque ad Heraclium & Tiberium Augustos, eius fratres; cuius superius mentionem fecimus: nempe, quòd si à persona, & non à natura voluntas penderet, vtique cum tres sint personæ sanctissimæ Trinitatis, non vna esset trium diuinarum personarum voluntas. Quam impietatem, atque falsitatem ne dum dicere, sed neque cogitare vllus potest. Et ita omnes Patres Orthodoxi senserunt, cùm Latini, tùm Græci; cùm Occidentalis, tùm Orientalis Ecclesiæ: qui pariter duas voluntates, ac duas operationes in Christo ponunt; quia in eo duas naturas agnoscunt. Contra verò hæretici, quia vnus est Christus, vnam tantum esse eius voluntatem, atque operationem affirmant; decepti, quòd sicut actiones, & passiones dicuntur suppositi; pari pacto ab illius vnitate determinentur. Sed valdè falluntur, cum & in hominibus etiam vnitas subiecti diuersitatem affectionum non tollat. Sic & Paulus dicebat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Multò minus igitur hoc præstat eiusmodi vnitas, vbi tanta intercedit formarum differentia, diuinæ scilicet, & humanæ naturæ. Verùm illud quidem efficit personæ vnitas, quòd vna nihil operatur ab alia separata. Propterea sanctus Leo Papa dicit in admiranda illa epistola ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum Patriarcham; quam Patres, columnam, & monumentum Fidei, appellauerunt: *Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit*

cumbit iniurijs : & sicut Verbum ab æqualitate Paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Differentibus itaque Patribus Catholicis ab impijs hæreticis, quia isti vnitatem voluntatis ab vnitate personæ Christi determinant; illi autem duas esse Domini nostri voluntates, duasq; operationes, ex duabus eius naturis demonstrant; quomodo cum Chaldæis idem de Fide sentire possumus; cum ipsi, vt habetur in libello conciliationis, ab vnitate filiationis, & à perfecta naturarum coniunctione, vnam esse in Christo virtutem, atque voluntatem profiteantur? Hæc sunt verba ex libello conciliationis descripta: *Orientales vnam voluntatem in Christo fatentur, non eo quòd alteram voluntatem conculcent, sed ne sit confusio in vna filiatione vnita Christo.* Et paulò infra: *Et si Orientales vnam voluntatem in Christo fatentur in duabus naturis rationabilibus, & perfectis Christi; quare de eo dicunt: Homo completus, & Deus completus? Sed patet, quòd dicunt propter coniunctionem perfectam.* At fortasse dicent non dissentire à nobis, quia non adimunt humanam voluntatem; tantum cauere ne confundantur naturæ. Sed hoc minimè sufficit, quia & Macarius Antiochenus naturas impermixtas, & inconfusas in vnitate personæ confitebatur: sed quia ex vnitate suppositi, voluntatem in Christo vnicam esse dicebat, à Patribus damnatus fuit, vt ostensum est. Sed eius verba iterum consideremus; inquit enim in libello professionis suæ Fidei superius descripto: *Vnitum quippè esse carni secundù subsistentiam confitentes Verbum, vnum illum adoramus, Filium Vnigenitum, Deum verum, Dominum omnium Iesum Christum,*

in dua-

in duabus naturis inconfusè, & indiuisè cognoscendum; non per partes ponentes, ac segregantes hominem, & Deum: neque illum operatum quidem fuisse miracula; hunc verò passum fuisse quæ humana sunt, sicut diuidentes Theodorus & Nestorius dicunt: sed vnum, eundemq; confitemur Deum, & hominem perfectum, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem: eiusdem vtrasque natiuitates prædicantes; tàm quæ ante sæcula ex Patre secundum Deitatem, quàm quæ in vltimis diebus ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem; eiusdem miracula, & passiones, & omnem simul Deo decibilem, atque homini condecentem operationem, ex eodem Christo Deo nostro decenter processisse credimus. Neque enim quæ diuina sunt, secundum Deum; neque rursus, quæ sunt hominis, secundum hominem: sed humanatus Deus Verbum, nouam quandam Deiuirilem operationem, & hanc totâ viuificatricem demonstrat. Tametsi nouum videtur, & perturbat aliquorum auditum, suspicantium hanc nos proferre in peremptionem earum, quæ in Christo Deo nostro sunt inconfusè, & secundum subsistentiam adunatarum duarum naturarum. Quod non est vniquam, nec fiat: Iam verò impius iste protestatur, vt patet, conseruatas velle impermixtas, & inconfusas vtrasque in Christo naturas; nulloq; pacto interemptas ab hac, quam ipse appellat Deiuirilem operationem: & nihilominus à sanctis Patribus damnatur, & è patriarchali throno Antiochenæ Ecclesiæ deijcitur; quia voluntates, & operationes Christi non à naturis, sed à persona pendere docebat. Nunquid igitur eosdem sanctos Patres allatam modò ex libello conciliationis expositionem vni-

tatis, voluntatis, & virtutis in Christo, tamquam Fidei nostræ Catholicæ minimè contrariam, admissuros esse, credendum est? Mihi sanè non probatur: nam Patres ipsi in prosphonetico ad Constantinum, ab ipsis post absolutum Concilium, habito; ità loquuntur: *Duas igitur in eo* (ideſt Christo) *naturales voluntates, & duas naturales operationes communiter, atque indiuise procedentes prædicamus: superfluas autem vocum nouitates, & horum adinuentores procul ab Ecclesiasticis septis abijcimus, & anathemati meritò subijcimus.* Hæc Patres. Et ideò aut veluti nouam eiecissent prædictam expositionem vnitatis virtutis, & operationis, ex vnitate filiationis; aut cum vnitate personali, quam hæretici impiè imaginati sunt; vnam, eandemq; censuissent. Nam si expositiones requiramus sanctorum Patrum de illis verbis Domini: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Et: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* omnes vno ore dicere reperiemus, duas fuisse voluntates in Christo, quia duæ erant in eo naturæ. Sic Athanasius in libro aduersus Apollinarium hæreticum de Trinitate, & Incarnatione. Sic Gregorius Nyssenus lib.ij.contra Eunomium. Sanctus Ioannes Chrysostomus in sermone ad eos, qui ad Missas non occurrerent; & de consubstantiali. Et Cyrillus Alexandrinus in libro Thesaurorum: ac demum omnes Patres Orthodoxi Ecclesiæ Orientalis. Quòd si libet sententias sanctorum Patrum Ecclesiæ Occidentalis recognoscere; præter auctoritates ex Decretalibus Epistolis Summorum Pontificum à nobis relatis; possumus proferre expositio-

positionem eorundem verborum Domini, quam beatus Ambrosius in ij. libro ad Gratianum Augustum, & beatus Augustinus aduersus Maximianum Arianum asserunt; ambo Ecclesiæ sanctæ præstantissimi Doctores; qui pariter differentiam voluntatum in naturarum differentiam referunt. Quare quando Chaldæi expositionem hanc suam veritati contrariam non existimarent; saltem nouam non esse affirmare non possent; & ideò tanquam nouam, sanctorum Patrum auctoritate, atque definitione, vt vidimus, reprobandam. Sed si, vt in libello professionis Fidei dictum est; Chaldæi profiterentur, se non Dei Genitricem, sed Christi matrem, sanctam Virginem appellare; ob refutationem Apollinarij, atque Pauli Samosateni (excusatio quidem, vt videtur, longè petita:) cur non magis refugiunt dicere vnicam voluntatem, & virtutem in Christo? in quo manifestè deprehenduntur consentire cum tot damnatissimis hæreticis, Theodoro Pharanitano, Sergio, Paulo, Pyrrho, & Petro Constantinopolitanis, Cyro Alexandrino, Macario Antiocheno; qui vnius voluntatis, & vnius operationis execrabilem nouitatem induxerunt, Arij, Apollinarij, Eutychetis, & Seueri perditissimam sectam instaurantes.

EPI-

EPILOGVS TOTIVS Disputationis.

IAm verò satis manifestè ostendisse credimus, ex sacræ Scripturæ, sacrorumq; Conciliorum, & sanctorum Patrum auctoritatibus, (Pater admodum Reuerende) Beatissimam Virginem Mariam, verè, simpliciterque appellandam esse Dei Matrem; & in Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas in vnica persona; duasq; itidem voluntates & operationes ipsius; contrarias autem sententias nullo modo cum hac Catholica veritate conciliari posse; cunctaq; diuinarum Scripturarum testimonijs, sanctorum Conciliorum auctoritatibus, probatissimorum Patrum documentis sufficienter confirmauisse. Abstinuimus autem de industria à maiori copia testimoniorum, & auctoritatum diuinæ Scripturæ, atque sanctorum Patrum: quia cum hæc abundè sufficerent, breuitati consulendum existimauimus: rationem habentes difficultatis conuertendi hunc nostrum commentariolum in Syriacum sermonem. Abundant quidem apud nos volumina à probatissimis Ecclesiæ Doctoribus sapientissimè de his scripta; quorum tibi copia fieri potuisset, nisi diuersitas idiomatis obstitisset. Quantum autem ad processionem Spiritus sancti, quia dicentes Spiritum sanctum à Patre procedere, non negatis, quòd etiam à Filio procedat, sicuti schismatici faciunt: hortamur vos, cum sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica apertè confiteri, Spiritum sanctum à Patre, Filioq; procedere;

cedere; ſicut in Oecumenica Synodo Florentina definitum eſt; vt ex Decreto patet Eugenij Papæ Quarti, ſub quo Pontifice Vniuerſale Concilium Florentinum celebratum fuit: quod in fine noſtræ huius Diſputationis poſuimus, ad abſolutam veritatis notitiam.

Reſtat modo, vt à Paternitate tua petamus, nobis pro tua humanitate ignoſcas, ſi fortè dogmata à ſanctis Patribus damnata redarguentes, aſperiùs aliquando egi; nimio fortaſſe zelo, ſed tamen minimè diſiuncto à charitate, qua te in viſceribus Chriſti proſequor, fratresq; noſtros Chaldæos amplecti deſidero. Veniam igitur poſtulo toto mei cordis affectu: ſicuti ſumma animi demiſſione, quicquid hactenus ſcripſi, correctioni ſanctæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ ſubijcio.

Ita profiteor, & affirmo ego idem Petrus Stroza manu propria.

SAN-

SANCTÆ VNIONIS LITERÆ.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infrascripta charissimo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum Imperatore illustri, & loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & ceteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus.

LÆTENTVR COELI, ET EXVLTET TERRA; *sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem, Orientalemq; diuidebat Ecclesiam: & pax, atque concordia redijt: illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraque vnum; vinculo fortissimo charitatis, & pacis, vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente; postq; longam mœroris nebulam, & dissidij diuturni atram, ingratamq; caliginem serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Ecclesia, quæ filios suos hactenus inuicem dissidentes, iam videt in vnitatem, pacemq; redijsse: & quæ antea in eorum separatione amarissimè flebat, ex ipsorum modò mira concordia, cum ineffabili gaudio, omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Christiano censentur nomine, Matri Catholicæ Ecclesiæ collætentur. Ecce enim Occidentales, Orientalesq; Patres, post longissimum dissentionis, atque discordiæ tempus, se maris, ac terræ periculis exponentes, omnibusq; superatis laboribus; ad hoc sacrum Oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimæ vnionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti, alacresq; conuenerunt; & intentione sua nequaquam fru-*

frustrati sunt. Post longam enim, laboriosamq; indaginem, tandem Spiritus sancti clementia, ipsam optatissimam, sanctissimamq; vnionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficijs gratias referre sufficiat? Quis autem diuinæ miserationis diuitias non obstupescat? cuiusve ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta; atque ideò eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponsæ tuæ Catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, vt enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem, diuinumq; munus nobis Deus largitus est; oculisq; nostris vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiuerint. Conuenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta Oecumenica Synodo, magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia, etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione, summa cum diligentia, & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis verò testimonijs ex diuinis Scripturis, plurimisq; auctoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium; aliquibus quidem, ex Patre & Filio; quibusdam verò, ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum: & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus, sub diuersis vocabulis: Græci quidem asseruerunt, quòd id, quod dicunt, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, vt excludant Filium. Sed quia eis videbatur (vt aiunt) Latinos asserere, Spiritum sanctum ex Patre, Filioq; procedere, tanquam ex duobus principijs, & duabus spirationibus; ideò abstinue-

ſtinuerunt à dicendo, quòd Spiritus ſanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini verò affirmauerunt, non ſe hac mente dicere, Spiritum ſanctum ex Filioq; procedere, vt excludant Patrem, quin ſit fons, ac principium totius Deitatis, Filij ſcilicet, & Spiritus ſancti; aut quòd id, quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat; ſiue quòd duo ponant eſſe principia, ſeu duas ſpirationes: ſed vt vnum tantum aſſerant eſſe principium, vnicamq; ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenus aſſeruerunt. Et cum ex his omnibus vnus, & idem eliciatur veritatis ſenſus; tandem in infraſcriptam ſanctam Deo amabilem, eodem ſenſu, eademq; mente vnionem, vnanimiter concordarunt, & conſenſerunt.

IN NOMINE IGITVR SANCTAE TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, hoc ſacro vniuerſali approbante Florentino Concilio: Diffinimus, vt hæc Fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur; ſicq; omnes profiteantur, quia Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt: & eſſentiam ſuam, ſuumq; eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio; & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Declarantes, quòd id, quod ſancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum; ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam: ſecundum Latinos verò, principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem: hoc ipſum quòd Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus

nitus est. Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminēte tunc necessitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item, in azimo, siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesq; in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem. Item, si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint; & omissis; eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari; & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta: illorumq; animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatæ; in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est; merstorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum; & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: & ipsi in beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potesta-

testatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum: vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus: saluis videlicet priuilegijs omnibus, & iuribus eorum. Datum Florentiæ in sessione publica Synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXIX. pridie Nonas Iulij, Pontificatus nostri anno nono.

Et subscriptiones.

Ego Ioannes Palæologus, fidelis in Christo Rex & Imperator Romæorum, subscripsi.

Ego Antonius humilis Metropolita Heraclien. & Consiliarius Edessenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ Pontifex, & Philothei sanctissimi Patriarchæ, & Sedis Apostolicæ Alexandrinæ locum tenens, subscripsi.

Ego Gregorius Protosingelus, confessor spiritualis, ac Sedis Apostolicæ Alexandriæ, & eius Domini Patriarchæ locum tenens, subscripsi. Eodem modo subscripserunt ceteri Patres, tùm Orientalis, tùm Occidentalis Ecclesiæ.

APPENDIX.

DISPVTATIONI finem imposuimus: nunc autem superest, vt cum præposuerimus epistolam Patriarchæ Babylonis, correctionem Fidei suæ postulatis; adijciamus, quid Sanctissimus D. N. ad eius postulata responderit. Subijciemus itaque Apostolicum Breue ad Babylonis Patriarcham; neque hoc tantummodo, sed Commentarium quoque, quē ipse Adam Patriarchæ Legatus ante suū discessum composuit de Fide Orthodoxa; vt nobis ostenderet, quantū profecerit ex disputationibus, quas toto ferè triennio, quo in Vrbe permansit, habuit cum diuersis eruditis, ac pijs viris, de doctrina Catholicæ Fidei.

S. D. N. PAVLI PP. V. EPISTOLA AD ELIAM BABYLONIS PATRIARCHAM.

PAVLVS PAPA V.

VENERABILIS *Frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Duplici affectu, lætitia, atque commiseratione, nec sanè leui; commouerunt charitatis nostræ viscera literæ, quas à Fraternitate tua Nobis reddidit dilectus filius Adam Archidiaconus, vt scribis, Cameræ tuæ Patriarchalis, & Monachorum*

tuorum Archimandrita, quem ad Nos misisti. Lætabamur quidem summoperè, ex reuerentia, ac deuotione, quam profiteris summam erga sanctam Beatissimi Petri Principis Apostolorum Sedem; eoq; magis, quia hoc verè Christianæ pietatis studium perpetuò viguisse in Ecclesia tua scribis. Miserebamur autem, vel potius angebamur; quòd cum hac veneratione Apostolicæ Sedis, non eandem doctrinam Catholicæ Fidei, quam ipsa profitetur; reperiebamus. Sed misericordiarum Patri Deo gratias agimus, quia te quoque vehementer commotum fuisse ob hanc diuersitatem vidimus: in quo diuitias ineffabilis eius clementiæ agnoscimus, & peculiarem quandam erga te immensæ misericordiæ suæ gratiam. Nam tametsi ex diligentia, atque sollicitudine, qua rationem tantæ discrepantiæ exquisiuisti; te valdè prudentem, & accuratum in pastorali tuo munere deprehenderimus; nihilominus, cum nimis compertum sit, quantum referat non modò in his, quæ ad Fidem pertinent; sed in qualibet doctrina, quomodo quis educatus fuerit; fatendum planè videtur, totum hoc miserentis Dei opus fuisse; vt dum omnes antecessores tui, ac nationis vestræ Doctores semper existimauerunt, vt dicis; se rectè de Fide sentire, nec ab Ecclesia sancta Catholica, & Apostolica Romana in alio, quàm in modo loquendi differre; primus dubitare cœperis; sedulò veritatem quæsieris; nec temerè tuorum responsioni, quamuis desiderio tuo congruerit; acquieueris; sed piè, ac sapienter Nos, ac sanctam hanc Sedem consulere volueris. Peramanter itaque Archidiaconum tuum excepimus; professionem Fidei vestræ, & quo pacto tàm diuersa dogmata componi, & ad vnum sensum redigi posse existimaret; audiuimus. Sed mutauit ille suam sententiam: etenim cum

nullam

nullam prorsus haberet notitiam sacrorum Concilierum, vt manifestè apparebat ex Commentario, quem de hac compositione, & consensu, scriptum à se, mandato tuo, ad Nos attulerat; & ex disputationibus, quas habuit satis diuturnas, ac frequentes cum viris pietate, ac doctrina præstantibus, quibus vt illum docerent Catholicam veritatem, mandauimus; & ipse quoque ingenuè fatebatur: posteaquam ostensum illi fuit, damnatum fuisse Nestorium à sanctis Patribus in Concilio Ephesino, ob has nefarias blasphemias; nempe quia impiè asserebat, Christum Dominum nostrum fuisse purum hominem; & Verbum Dei inhabitasse in eo, tanquam in templo; ita vt Diuinitatem, & Humanitatem diceret in ipso accidentaliter coniunctas, & non substantialiter, & hypostaticè vnitas; & Beatissimam, immaculatamq; Virginem Mariam hac de causa non Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi appellandam: similiter duas in vno Filio fuisse personas; puri scilicet hominis, ac Verbi Dei: Hominem à Deo assumptum, ob assumentis coniunctionem, non autem propriè, dicendum esse Deum; eguisse propitiatione, sicuti ceteri homines egent; paulatim ad Pontificiam dignitatem euectum esse; & non minus pro se, quàm pro nobis sacrificium Deo obtulisse; à Spiritu sancto tanquam ab aliena virtute glorificatum; ac demum non aliter, quàm Moyses dictus fuit Deus Pharaonis, Dominum nostrum Iesum Christum existimandum esse Deum. Quibus omnibus diligenter, ac sedulò recognitis, post annum elapsum, & amplius; Nestorium tandem, & omnes, qui cum eo hæc, & similia sentiunt; alacri animo damnauit, & anathematizauit. Pari quoque pacto fuit illi demonstratum ex determinatione sextæ Synodi

vniuersalis, quæ tertia est Constantinopolitana: Duas esse in Christo Domino voluntates, ac duas operationes, sicut duæ sunt in eo naturæ: contrarium autem, tanquam blasphemum, & hæreticum, à sanctis Patribus fuisse reprobatum; qui synodali decreto Macarium Patriarcham Antiochenum episcopali dignitate propterea priuauerunt, & à communione Ecclesiæ sanctæ Catholicæ separauerunt; quia ausus fuerat impiè asserere cum Theodoro Episcopo Pharanitano; Sergio, & Petro Episcopis Constantinopolitanis; Cyro Episcopo Alexandrino, damnatis hæreticis; vnam tantum esse in Christo voluntatem, atque vnicam operationem. Vidit similiter Decretum in Concilio Florentino vniuersali, à felicis recordationis Eugenio Quarto prædecessore nostro factum, de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio; cui Patres omnes Ecclesiæ Latinæ, ac Græcæ pariter subscripserunt, ipso Græcorum Imperatore præsente; qui ad remouendum Græcorum schisma, Synodi vniuersalis congregationem curauerat; & ex Regia Vrbe Constantinopolitana in Italiam venerat. Ex quibus omnibus Archidiaconus tuus Orthodoxa veritate percepta, quam Ecclesia sancta Catholica Apostolica Romana docet, de altissimis mysterijs Incarnationis Verbi Dei, & processionis Spiritus sancti; errores suos proprios, atque nationis vestræ communes agnouit; quos sponte & ingenuè coram dilecto filio Magistro Commissario Officij sanctæ Inquisitionis confessus, ac detestatus est; illosq́, auctoresq́ illorum, Nestorium, Theodorum Mopsuestenum, Diodorum Tarsensem, Macarium Antiochenũ, cetcrosq́ omnes hæreticos, atque hæresiarcas ab Ecclesia sancta Romana damnatos; cũ eorũ hæresibus & impietatibus abiurauit, dãnauit, & anathematizauit. Et quia venerabilis Frater à Nobis

effica-

efficaciter postulasti, vt tibi errores significaremus, quos in Fide vestra reperissemus; illosq; corrigeremus; paratum quippe te exhibebas cum Archiepiscopis, & Episcopis obedientiæ tuæ subiectis, ad correctionem recipiendam: iusto, pioq; tuo desiderio satisfacere cupientes, ac simul vt adimpleremus præceptum, quod à Domino in beati Petri persona accepimus; vt videlicet confirmaremus fratres nostros in fide: mandauimus, cuncta, quæ dilecto filio Adæ Archidiacono tuo ostensa fuerunt de sacrorum Conciliorum Decretis, diligenter describerentur, & in Chaldæum idioma fideliter verterentur; & ad fraternitatem tuam mitterentur. Igitur accipies cum his nostris literis descriptionem errorum, immò blasphemiarum impij Nestorij, vt in Concilio coram Patribus recitatæ fuerunt; cuius initium tale est: Petrus presbyter Alexandriæ, Notariorum Primicerius dixit: Habemus præ manibus Reuerendissimi Nestorij blasphemiarum commentarios, &c. *Accipies pariter epistolam à beato Cyrillo Episcopo Alexandrino, atque Synodo Alexandriæ congregata, ad Nestorium scriptam; qua fraternè illum erroris sui admonent; atque duodecim capitibus, quid de ineffabili mysterio Incarnationis tenendum Catholicè sit; declarant. Incipit autem sic:* Cum Saluator noster apertè pronuntiet, &c. *Monuerat beatus Cœlestinus primus prædecessor noster Nestorium; & de illius salute sollicitus, correctionem eius curandam beato Cyrillo mandauerat: ea ratione, vt nisi ad præfinitum tempus respuisset; illum auctoritate Apostolica, ab Ecclesiæ communione separaret. Itaque Cyrillus coacta Alexandriæ Synodo; epistolam, cuius exemplum tibi mittimus; scripsit. Sed Nestorius ex admonitione deterior, ac magis contumax, detestabiliores semper euomens blas-*

Disput. cap. vij. pag 65.

Disput. cap. vij. pag. 69. b

phemias; grauiores turbas in Ecclesia excitabat. Quare Synodus vniuersalis Ephesi conuocatur, cui Cyrillus vices Cœlestini Papæ gerens, auctoritate eius Apostolica præfuit: in qua recognitis, examinatisq; erroribus Nestorij; cum ipse noluisset sistere se Concilio; vnanimi Patrum sententia Synodali decreto damnatus fuit: cuius damnationis exemplum tibi quoque mittimus, quod ita incipit: Sancta Synodus dixit: Cum præter cetera, &c. *Sed damnato, depositoq; Nestorio, atque in exilium ad Libyæ deserta deportato; scriptisq; suis vbique locorum concrematis; nihilominus ignis hæreseos extinctus omninò non est; sed flamma tantum compressa, quæ longè, latèq; diffusa erat. Nam scintillæ, vnde hoc incendium initium habuerat; latitantes permanserant: scripta nempè Theodori Episcopi Mopsuesteni, qui Nestorij magister extiterat. Neque enim à Patribus antea animaduersa fuerant; vel quia non satis vulgata, vel quia Theodorus ob grauissimam pugnam, quam susceperat, atque sustinuerat de mysterio Incarnationis aduersus Apollinaristas; tantam sibi doctrinæ, ac pietatis famam comparauisset, vt ne dum suspectus non esset; immò verò inter orthodoxos, grauissimosq; Ecclesiæ Patres haberetur. Igitur hæretici, quod Nestorij nomine amplius profiteri non poterant; Theodori auctoritate docere, ac tueri nitebantur. Hinc temporis progressu adeò magna perturbatio exorta est in Ecclesia Dei, vt post Chalcedonensem Synodum, quartam videlicet vniuersalem; iterum sancti Patres coacti fuerint conuenire Constantinopolim ad vniuersale Concilium; in quo Theodori Mopsuesteni dogmata recitata, diligenterq; animaduersa, & examinata, ac demum damnata, & anathematizata fuerunt. Huius autem examinis, atque damnatio-*

Disput. cap. viij. pag. 79.

nationis exemplum; necnon Fidei sceleratum symbolum Theodori Mopsuesteni, ex actis eiusdem quintæ Synodi vniuersalis descriptum tibi mittimus, cuius initium est: Sancta Synodus dixit: Ad longum tempus extensis quæ de Theodoro mouentur, qui Mopsuestenæ sanctæ Ecclesiæ fuit Episcopus, &c. *Quibus omnibus existimauimus, fore vt satis innotesceret fraternitati tuæ possent errores, qui cum Nestorio, atque Theodoro Mopsuesteno vobis communes sunt: & quàm execrabile, atque Catholicæ Fidei contrarium sit, negare, Beatissimam, semperq; Virginem Mariam esse veræ matrem Dei; & in Christo duas personas ponere. Pari pacto tibi mittimus Decretum sextæ Synodi vniuersalis Constantinopoli celebratæ; quo sancti Patres actione decima octaua definierunt, eadem ratione confitendum esse duas in Christo esse voluntates, atque operationes, qua credimus, duas eius esse naturas, in vna eius radiantes subsistentia; nec vlli licere aliam Fidem profiteri, aut docere. Incipit autem sic:* Præsens sancta, & vniuersalis Synodus, fideliter suscipiens, &c. *Ex quo non tantum quid Catholicè credendum sit, intelliges; verum etiam cognosces, quàm grauiter peccent, qui importunis interpretationibus contrariam sententiam, damnatamq; impietatem tueri student. Postremò mittimus tibi Decretum à felicis recordationis Eugenio Quarto etiam prædecessore nostro, in Synodo vniuersali Florentina factum, de processione Spiritus sancti; cuius initium est:* Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Lætentur cœli, &c. *Apertè in hoc Eugenij Decreto videbis, omnes pariter Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Patres confessos fuisse, Spiritum sanctum à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio*

Errores istos inuenies cap xj. pag. 95.

Disput. cap. xx. pag. 159.

Post Epilogum pag. 188.

cipio procedere. Et quamuis Græci à Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dicant; non ob id tamen, qui rectè sentiunt; processionem hanc aliter, quàm ab utroque æqualiter intelligunt. Nullo autem modo dicendum, Spiritum sanctum à Patre solo procedere; hoc enim hæreticum, atque damnatum est. Idcò sancta Romana Ecclesia, omnium aliorum Mater, & Magistra, diuinitus illustrata; ad euitandam omnem suspicionem huius impietatis, opportunè declaratura eiusmodi processionem; non addens, sed exponens, posuit in Symbolo illud: Filioq; procedit: De incomprehensibilibus igitur mysterijs salutiferæ Incarnationis Verbi Dei, atque æternæ processionis Spiritus sancti, sic definitum fuit à sanctis Patribus; & ita credat, oportet, quicunque profitetur Catholicam Fidem. Declarationes, expositiones, conciliationes omnes, quæ vel contrarias sententias defendunt, vel eas ad sensum orthodoxæ veritatis redigere conantur; non modò vanæ, ac superfluæ; sed damnatæ, ac reprobatæ. Sunt enim hæreticorum commenta, quibus eorum impietatem, quam profiteri amplius manifestam non poterant; fucatam defendere conabantur. Nam sectatores Nestorij nefaria eius dogmata, ex commentarijs, vt diximus, Theodori Mopsuesteni, à quo virus perditissimæ hæresis hauserat, & ex his, quæ ab eius fautoribus contra beatum Cyrillum, sanctamq; Ephesinam Synodum scripta fuerunt; callidè instaurare, atque in vulgus serere studuerunt. Vnde magna Orientis pars postmodum infecta fuit; præcipuè Chaldæi, qui hac de causa deinceps Nestoriani dicti sunt. Propterea monemus fraternitatem tuam, atque efficacissimè hortamur, vt Theodori Mopsuesteni scripta; pariterq; Diodori Tarsensis, qui cum eo pessimè

simè sentiebat; lethalis huius messis infausta semina; si, vt accepimus, apud vos reperiuntur; delere, effringere, penitusq; ex vestra natione exterminare, omnino studeas. Quippè Theodorus tanquàm hæreticus, ac pessimæ doctrinæ auctor, à sanctis Patribus in quinta vniuersali Synodo, vt videre poteris; secunda videlicet Constantinopolitana, damnatus est. Remoto autem hoc obstaculo, facilè vt confidimus, cooperante diuina gratia; Catholicam veritatem contra aduersariorum mendacia tueberis, præsidio auctoritatis sanctorum vniuersalium Conciliorum, quorum decreta tibi mittimus. Quibus sicut fraternitatem tuam, ceterosq; venerabiles fratres Archiepiscopos, & Episcopos, atque eruditiores Monachos, & Sacerdotes vestræ nationis instruere aduersus hæreticos curauimus; ita & reliquorum necessitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes; quamplurimos libellos professionis Catholicæ Fidei, & Christianæ doctrinæ typis Arabicis excusos, eidem Adæ Archidiacono tuo, perferendos ad vos dedimus. Abundè satisfeciſſe nos hactenus tuo desiderio credimus, venerabilis, ac dilectissime frater. Habes namque à Nobis certissimam doctrinam Catholicæ Fidei, & firmissima fundamenta, quibus ipsa nititur. Docere igitur tuos veritatem, aduersariorum mendacia, atque malitiam redarguere sufficienter poteris. Reliquum modò est, vt eodem zelo, quo veritatem cognoscere concupiuisti; cures, nitaris, efficias, vt ipsam nunc vobis declaratam, & patefactam, ceteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo pios labores, atque conatus tuos in propagatione Orthodoxæ Fidei semper adiuuabimus: & quò maiores progressus vestros in recta doctrina audierimus; eò magis prompti, ac parati erimus ad

nostrum

nostrum auxilium vobis subministrandum; sicut Archidiacono tuo uberius declarauimus. A quo particulam saluiferi ligni sanctissimæ Crucis Domini nostri, inclusam parua cruce aurea, ornata lapidibus cœlestis coloris in maioris crucis formam; atque librum sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excusum; & cum his argenteum calicem, & patenam, atque thiaram, ac vestes Pontificales pro solemni celebratione incruenti sacrificij, diuinorumq; officiorum: necnon duos alios libros ijsdem characteribus Arabicis impressos, vtiles ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valdè gratos, ipse communis noster filius Adam Nobis ostendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus sancti Petri mittimus; vt signum aliquod à Nobis habeas sinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum Archidiaconum valdè tibi commendamus; & pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium Nobis valdè charum, vt præcipuè diligas; desideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos mansit, pie admodum vixit; monasticæ vitæ suæ institutum religiosè obseruauit; zelum veritatis agnoscendæ eximium prætulit; assiduus in expeditione negotij sibi à te commissi, fuit; in exponendis vestris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, sed minimè peruicax; in recipienda vestrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: demum ita se in omnibus gessit, vt meritò benevolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt, sibi conciliauerit. Quare si rem Nobis gratissimam facere desideras; virtutem, & probitatem ipsius, omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis: non enim dubitamus, quin

optimè

optimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tàm magnis, tàmq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, vt opus, quod ineffabilis sua clementia cœpit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestræ, qui Fidei Catholicæ notitiam vere, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissimæ Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. viij. Calendas Aprilis M. DC. XIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Petrus Stroza.

VIDERAT Adam hoc Apostolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumq; in eo legisset, se laudatum fuisse, quòd rectam Fidei doctrinam accepisset; vt hanc de se conceptam opinionem magis confirmaret; statim Commentarium composuit; in quo, quasi fratres suos Chaldæos eruditurus esset; exposuit singillatim quid de vnitate diuinæ essentiæ, de incomprehensibili sanctissimæ Trinitatis mysterio, deq; ineffabili dispensatione Incarnationis Dei Verbi sentiret; potissimum aduersus Nestorium, & Theodorum perditissimos hæresiarcas: habitâ in primis

nostrum auxilium vobis subministrandum; sicut Archidiacono tuo uberius declarauimus. A quo particulam saluiferi ligni sanctissimæ Crucis Domini nostri, inclusam paruæ cruce aureæ, ornata lapidibus cœlestis coloris, in maioris crucis formam; atque librum sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excusum; & cum his argenteum calicem, & patenam, atque thiaram, ac vestes Pontificales pro solemni celebratione incruenti sacrificij, diuinorumq; officiorum: necnon duos alios libros ijsdem characteribus Arabicis impressos, vtiles ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valdè gratos, ipse communis noster filius Adam Nobis ostendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus sancti Petri mittimus; vt signum aliquod à Nobis habeas sinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum Archidiaconum valdè tibi commendamus; & pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium Nobis valdè charum, vt præcipuè diligas; desideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos mansit, piè admodum vixit; monasticæ vitæ suæ institutum religiosè obseruauit; zelum veritatis agnoscendæ eximium prætulit; assiduus in expeditione negotij sibi à te commissi, fuit; in exponendis vestris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, sed minimè peruicax; in recipienda vestrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: demum ita se in omnibus gessit, vt meritò benevolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt; sibi conciliauerit. Quare si rem Nobis gratissimam facere desideras; virtutem, & probitatem ipsius, omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis: non enim dubitamus, quin

optimè

optimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tàm magnis, tàmq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, vt opus, quod ineffabilis sua clementia cœpit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestræ, qui Fidei Catholicæ notitiam vere, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissimæ Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. viij. Calendas Aprilis. M. DC. XIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Petrus Stroza.

VIDERAT Adam hoc Apostolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumq; in eo legisset, se laudatum fuisse, quòd rectam Fidei doctrinam accepisset; vt hanc de se conceptam opinionem magis confirmaret; statim Commentarium composuit; in quo, quasi fratres suos Chaldæos eruditurus esset; exposuit singillatim quid de vnitate diuinæ essentiæ, de incomprehensibili sanctissimæ Trinitatis mysterio, deq; ineffabili dispensatione Incarnationis Dei Verbi sentiret; potissimum aduersus Nestorium, & Theodorum perditissimos hæresiarcas: habita in primis

nostrum auxilium vobis subministrandum; sicut Archidiacono tuo uberius declarauimus. A quo particulam salutiferi ligni sanctissimæ Crucis Domini nostri, inclusam parua cruce aurea, ornata lapidibus cæleſtis coloris in maioris crucis formam; atque librum sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excusum; & cum his argenteum calicem, & patenam, atque thiaram, ac vestes Pontificales pro solemni celebratione incruenti sacrificij, diuinorumq; officiorum: necnon duos alios libros ijsdem characteribus Arabicis impressos, vtiles ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valdè gratos, ipse communis noster filius Adam Nobis ostendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus sancti Petri mittimus; vt signum aliquod à Nobis habeas sinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum Archidiaconum valdè tibi commendamus; & pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium Nobis valdè charum, vt præcipuè diligas; desideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos mansit, piè admodum vixit; monasticæ vitæ suæ institutum religiosè obseruauit; zelum veritatis agnoscendæ eximium prætulit; assiduus in expeditione negotij sibi à te commissi, fuit; in exponendis vestris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, sed minimè peruicax; in recipienda vestrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: denum ita se in omnibus gessit, vt meritò benevolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt, sibi conciliauerit. Quare si rem Nobis gratissimam facere desideras; virtutem, & probitatem ipsius, omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis: non enim dubitamus, quin

optimè

optimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tàm magnis, tàmq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, vt opus, quod ineffabilis sua clementia cœpit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestræ, qui Fidei Catholicæ notitiam vere, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissimæ Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. viij. Calendas Aprilis M. DC. XIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Petrus Stroza.

VIDERAT Adam hoc Apostolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumq; in eo legisset, se laudatum fuisse, quòd rectam Fidei doctrinam accepisset; vt hanc de se conceptam opinionem magis confirmaret; statim Commentarium composuit; in quo, quasi fratres suos Chaldæos eruditurus esset; exposuit singillatim quid de vnitate diuinæ essentiæ, de incomprehensibili sanctissimæ Trinitatis mysterio, deq; ineffabili dispensatione Incarnationis Dei Verbi sentiret; potissimum aduersus Nestorium, & Theodorum perditissimos hæresiarcas: habità in primis

nostrum auxilium vobis subministrandum; sicut Archidiacono tuo uberius declarauimus. A quo particulam salutiferi ligni sanctissimæ Crucis Domini nostri, inclusam parua cruce aurea, ornata lapidibus cœlestis coloris in maioris crucis formam; atque librum sanctorum Euangeliorum, Arabico idiomate typis excusum; & cum his argenteum calicem, & patenam, atque thiaram, ac vestes Pontificales pro solemni celebratione incruenti sacrificij, diuinorumq; officiorum: necnon duos alios libros iisdem characteribus Arabicis impressos, vtiles ad medicinæ corporalis doctrinam, & ad intellectus acumen augendum: nam fore illos tibi valdè gratos, ipse communis noster filius Adam Nobis ostendit. Quæ omnia fraternitati tuæ ex benedictionibus sancti Petri mittimus; vt signum aliquod à Nobis habeas sinceræ, ac perfectæ dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum Archidiaconum valdè tibi commendamus; & pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium Nobis valdè charum, vt præcipuè diligas; desideramus. Toto enim tempore, quo apud Nos mansit, pie admodum vixit; monasticæ vitæ suæ institutum religiosè obseruauit; zelum veritatis agnoscendæ eximium prætulit; assiduus in expeditione negotij sibi à te commissi, fuit; in exponendis vestris de Fide opinionibus diligens, & accuratus, sed minimè peruicax; in recipienda vestrorum errorum correctione docilis, atque morigerus: demum ita se in omnibus gessit, vt meritò benevolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt; sibi conciliauerit. Quare si rem Nobis gratissimam facere desideras; virtutem, & probitatem ipsius, omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis: non enim dubitamus, quin

optimè

eptimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tàm magnis, tàmq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, vt opus, quod ineffabilis sua clementia cœpit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestræ, qui Fidei Catholicæ notitiam vere, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissimæ Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. viij. Calendas Aprilis M. DC. XIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Petrus Stroza.

VIDERAT Adam hoc Apostolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumq; in eo legisset, se laudatum fuisse; quòd rectam Fidei doctrinam accepisset; vt hanc de se conceptam opinionem magis confirmaret; statim Commentarium composuit; in quo, quasi fratres suos Chaldæos eruditurus esset; exposuit singillatim quid de vnitate diuinæ essentiæ, de incomprehensibili sanctissimæ Trinitatis mysterio, deq; ineffabili dispensatione Incarnationis Dei Verbi sentiret; potissimum aduersus Nestorium, & Theodorum perditissimos hæresiarcas: habitâ in primis

cipio procedere. Et quamuis Græci à Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dicant; non ob id tamen, qui rectè sentiunt; processionem hanc aliter, quàm ab utroque æqualiter intelligunt. Nullo autem modo dicendum, Spiritum sanctum à Patre solo procedere; hoc enim hæreticum, atque damnatum est. Ideò sancta Romana Ecclesia, omnium aliorum Mater, & Magistra, diuinitus illustrata; ad euitandam omnem suspicionem huius impietatis, opportunè declaratura eiusmodi processionem; non addens, sed exponens, posuit in Symbolo illud: Filioq; procedit: *De incomprehensibilibus igitur mysterijs salutiferæ Incarnationis Verbi Dei, atque æternæ processionis Spiritus sancti, sic definitum fuit à sanctis Patribus; & ita credat, oportet, quicunque vult saluus esse, qui vult profitetur Catholicam Fidem. Declarationes, expositiones, conciliationes omnes, quæ vel contrarias sententias defendunt, vel eas ad sensum orthodoxæ veritatis redigere conantur; non modò vanæ, ac superfluæ; sed damnatæ, ac reprobatæ. Sunt enim hæreticorum commenta, quibus eorum impietatem, quam profiteri amplius manifestam non poterant; fucatam defendere conabantur. Nam sectatores Nestorij nefaria eius dogmata, ex commentarijs, vt diximus, Theodori Mopsuesteni, à quo virus perditissimæ hæresis hauserat; & ex his, quæ ab eius fautoribus contra beatum Cyrillum, sanctamq; Ephesinam Synodum scripta fuerunt; callidè instaurare, atque in vulgus serere studuerunt. Vnde magna Orientis pars postmodum infecta fuit; præcipuè Chaldæi, qui hac de causa deinceps Nestoriani dicti sunt. Propterea monemus fraternitatem tuam, atque efficacissimè hortamur, vt Theodori Mopsuesteni scripta; pariterq; Diodori Tarsensis, qui cum eo pessime*

simè sentiebat; lethalis huius messis infausta semina; si, vt accepimus, apud vos reperiuntur; delere, effringere, penitusq; ex vestra natione exterminare, omnino studeas. Quippè Theodorus tanquàm hæreticus, ac pessimæ doctrinæ auctor, à sanctis Patribus in quinta vniuersali Synodo, vt videre poteris; secunda videlicet Constantinopolitana, damnatus est. Remoto autem hoc obstaculo, facilè vt confidimus, cooperante diuina gratia; Catholicam veritatem contra aduersariorum mendacia tueberis, præsidio auctoritatis sanctorum vniuersalium Conciliorum, quorum decreta tibi mittimus. Quibus sicut fraternitatem tuam, ceterosq; venerabiles fratres Archiepiscopos, & Episcopos, atque eruditiores Monachos, & Sacerdotes vestræ nationis instruere aduersus hæreticos curauimus; ita & reliquorum necessitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes; quamplurimos libellos professionis Catholicæ Fidei, & Christianæ doctrinæ typis Arabicis excusos, eidem Adæ Archidiacono tuo, perferendos ad vos dedimus. Abundè satisfeciſſe nos hactenus tuo desiderio credimus, venerabilis, ac dilectissime frater. Habes namque à Nobis certissimam doctrinam Catholicæ Fidei, & firmissima fundamenta, quibus ipsa nititur. Docere igitur tuos veritatem, aduersariorum mendacia, atque malitiam redarguere sufficienter poteris. Reliquum modò est, vt eodem zelo, quo veritatem cognoscere concupiuisti; cures, nitaris, efficias, vt ipsam nunc vobis declaratam, & patefactam, ceteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo pios labores, atque conatus tuos in propagatione Orthodoxæ Fidei semper adiuuabimus: & quò maiores progressus vestros in recta doctrina audierimus; eò magis prompti, ac parati erimus ad

nostrum

eptimè collocaueris quicquid honoris, ac dignitatis in eum contuleris; ac præterea debitum laboribus suis tàm magnis, tàmq; laudabilibus præmium tribues, quod maximè desideramus. Deum misericordiarum, ac Patrem luminum oramus, vt opus, quod ineffabilis sua clementia cœpit in te; perficere per humilitatis nostræ ministerium, ad sanctissimi nominis sui gloriam, ac vestrarum animarum salutem dignetur: & ex intimis nostri cordis visceribus tibi, dilectisq; filijs nationis vestræ, qui Fidei Catholicæ notitiam vere, & ex animo concupiscunt; benedictionem nostram Apostolicam impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die sanctissimæ Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ. viij. Calendas Aprilis M. DC. XIV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Petrus Stroza.

VIDERAT Adam hoc Apostolicum Breue, dum in Chaldaicum idioma conuerteretur: cumq; in eo legisset, se laudatum fuisse, quòd rectam Fidei doctrinam accepisset; vt hanc de se conceptam opinionem magis confirmaret; statim Commentarium composuit; in quo, quasi fratres suos Chaldæos eruditurus esset; exposuit singillatim quid de vnitate diuinæ essentiæ, de incomprehensibili sanctissimæ Trinitatis mysterio, deq; ineffabili dispensatione Incarnationis Dei Verbi sentiret; potissimum aduersus Nestorium, & Theodorum perditissimos hæresiarcas: habitâ in primis

SERMO
ADAE ARCHIDIACONI
CAMERÆ PATRIARCHALIS
BABYLONIS.
DE FIDE CATHOLICA
AD FRATRES SVOS CHALDAEOS.

Proemium, in quo agit de Primatu sanctæ Apostolicæ Sedis, & de præeminentia auctoritatis, & doctrinæ Summi Pontificis.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

DE Fide Catholica, deq; professione Orthodoxa loqui volumus, fratres. Itaque proximi in Domino nostro, & charissimi in Iesu spe nostra, petimus à vobis, per humilitatem, & mansuetudinem, & obedientiam Iesu Christi; ne quis contendat extra legem contra veritatem, sed in lege pro veritate; vt coronetur. Neque enim fas est nobis

nobis contradicere Deo, propter propensionem nostræ voluntatis; sed debemus subijcere nos voluntati suæ, pro salute animarum nostrarum: quia sicut est vnus Deus Pater, & vnus Dominus Christus; sic vna est Fides de illo, & vna Ecclesia sancta caput omnium Ecclesiarum; & vna est petra solida, in qua positi sunt ordines Ecclesiastici à sapiente architecto, ædificatore Vniuersi. Neque enim frustra, & vanè dedit claues altitudinis, & profunditatis Petro fundamento Ecclesiæ suæ; neque fortuitò tradidit ipsi greges rationales, emptos sanguine suo pretioso. Et sic longa successione post Petrum, accepit summum Pontificatum Pater noster sanctus Papa, caput sublime totius Christianitatis; & est verus Vicarius Christi Domini nostri super terram vniuersam, per successionem veram & legalem, quæ ab illo deriuauit. Propterea fratres in Christo, & membra Iesu: non enim fœnum & paleam, sed aurum, & lapides pretiosos debemus ponere super hoc fundamentum verum, quia probatio in igne fit; & præter hoc fundamentum nemo aliud potest ponere; & si audeat, & ponit; super arenam fit ædificium eius, & non ascendit ad culmen; quia errat à fine recto, quicunque est contra lapidem perfectum capitis anguli, qui colligat parietes ad inuicem. Itaque fratres, & patres petimus à vobis, propter amorem Christi, ne vllus celet veritatem. Omnibus hæc dicimus; transacta iam sunt antiqua: modo verò quamnam veritatem rectam inuenietis, præter eam, quæ est Romæ, secundum voluntatem Dei? Ecce enim quàm multis in locis ordinantur Pontifices illegitimè? Sunt enim aliqui, qui munere; alij vi; alij fucis, & dolis; alij per subscriptionem barbarorum; alij per hypocrisiam; alij per imperium Regum huius mundi, & non per ordinem

Dei:

Dei: & hi omnes præter voluntatem Spiritus sancti sunt. An ne nos hæc dicimus? Ecce enim Synodus reprehendit, & damnat ordinantem, & ordinatum illegitimè. Etiam in lege noua ac veteri reprobantur ij, qui non eliguntur secundùm voluntatem Spiritus sancti, per ordinem Summi Pontificis, qui fidelis est super omnes greges Iesu. Ecce enim audistis, familiam Core, quæ surrexit contra præceptum Dei, & voluit abripere Sacerdotium; quomodo aperuit terra os suum, & viuos deglutiuit: & Simonem illum seductorem, qui obtulit argentum Apostolis, propter hoc donum quid respondit ei Simon Petrus? Argentum tuum vadat tecum in perditionem: quia putasti donum Dei possessione seculi possideri; non habes partem, neque sortem in hac fide. Sic enim ambigit, & aberrat à veritate, quicumque vtitur talentis spiritualibus inconuenienter. Gratis accepistis, gratis date omnibus dignis; ordinauit Dominus talentorum. Et hunc ordinem rectum, & fidem veram tenet ab ipso Ecclesia sancta Romæ, vsque ad hanc diem; dum congregantur omnes Patres illustres, & laudabiles, ad Ecclesiam magnam & sanctam sancti Petri; & per ieiunia, & orationes orant, & supplicant coram Deo; & volunt ingenuè in omni humilitate; & obediunt ei, qui eligitur à Spiritu sancto: & sic ordinatur Papa, & Pontifex fidelis Ecclesiæ Christi. Igitur fratres, non ille, qui laudat semetipsum, est probatus; sed ille, quem Dominus laudabit; neque vllus sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron. Et sic Dominus Papa non seipsum laudat, vt sit Pontifex; sed ille, qui dixit ei: Pasce mihi agnos meos, pasce mihi agnos meos, pasce mihi oues meas. Sic etiam eligitur, & honoratur à congregatione sancta beatorum Patrum, in volun-

tate

tate Spiritus ſancti. Ideo fratres in Chriſto, decet omnes Chriſtianos vbicumque ſeruare præcepta ſua plena vitæ, vt pupillam oculi; & abiurare, & refutare omnes hæreſes; & anathematizare eos omnes, qui à verbo ſuo diſcedunt, & aduerſantur Eccleſiæ ſanctæ & Apoſtolicæ, & adducunt fallacias è ſanctis libris, iuxta eorum voluntatem; & ignoranter colligunt folia pro fructibus; & ſceleſtè confirmant ſermonem ſuum mendacem. Eccleſia autem Catholica Romæ, per anathematiſmum determinat contra quemcumque, qui variat veritatem Synodorum ſanctarum, & electarum. Propterea conuenit fideles veros, per voluntatem ſuam liberam adhærere Fidei veræ, & Canonibus rectis, & ordinatis; quos docet & prædicat Pater Patrum, & ſummus Paſtor Dominus Papa; vt lucrentur vitam animabus ſuis, eo mediante; & benedicantur benedictionibus ſuis Apoſtolicis. Amen.

De Confeſſione vnius Dei. Cap. I.

ITaque credimus propter hoc, & etiam loquimur: Credimus enim, & Confitemur vnum Deum verum, immortalem, æternum, non habentem principium, neque finem. Quia non in tempore ſolum eſt, ſed ante tempus; & ſine principio, & ſine fine eſt; & in æternum tempora omnia in eo includuntur; cum ſit eleuatus ab omni intellectu; eo quòd id quod habet, ſemper habet: quia non erat aliquando, & modò eſt; ſed eſt, & futurus eſt; & eſt cauſa omnis entis, & cauſa cauſæ cauſarum omnium; neque cadit natura ipſius ſub decem prædicamenta. Sermo enim de nobis oſtendit vt ſumus, aut ſupra id quod ſumus, aut infra. Sermo verò de Deo non habet

bet quid supra se, vt de ipso demonstret; neque vt est, potest dici. Demonstrationes ergo infra se remanebunt, quia nullus iudicia eius penetrauit, & viæ eius sunt ininuestigabiles. Quantumuis enim homines multiplicent scientiam, hìc despicitur; scriptum enim est: Noli nimis scire, ne mireris. Et Gregorius Theologus ait: Ego multa intra me cogitaui per discursum intellectus, & vndique rectificaui sermonem; & volens demonstrationem de hoc toto negotio accipere, nihil ex inferioribus habui, vt compararem mihi scientiam Naturæ Diuinæ, licet parua similitudo inueniatur. Et Paulus præcipit, ne altiora cogitemus, quàm decet cogitari; quia Deum ex suis creaturis tantùm inuentunt inuestigatores, & non ex essentia; dum intellectus Sanctorum illuminatur à Spiritu sancto: & nullus ex his comprehendit vsiam Dei; sed originem vsiarum, & vitæ, & sapientiæ, quæ ex summa bonitate perfectissimæ essentiæ effunditur super omnes substantias. Propterea dicitur de Deo, quòd sit charitas, eo quòd charitas est complementum omnis bonitatis; & bonum est contrarium malo, & sic malum bono. Et si dominaretur malum totale, nunquam quicquam constitueretur; sed non existit malum totale: nam cum bonum totale includat omne, & quod est, & quod potest esse; priuat necessariò malum omni essentia. Et sic dicimus, quòd bonum tribuat malo priuationem perfectam. Perfecta autem priuatio nihil est; & nihil non habet existentiam. Ergo valde errant dicentes, esse alium Deum malum. Et sic est essentia Diuina dissipans malum naturaliter; & est principium bonitatis perfectæ, & causa bonorum; & effunditur in omnes essentias per suam prouidentiam perfectam;

& in hoc ipso bono est causa omnium, quæ sunt : neque per artem, neque per calliditatem, & inuentiones; sed propter bonitatem naturalem dedit omnibus esse. Naturæ enim spirituales excellenter eam desiderant; & homines per cogitationes; & belluæ in ea per sensum existunt; plantæ per virtutem plantalem, & nutritiuam; & inanimata per id, quo sunt. Et sic inuenitur in ipso existentia omnium naturarum diuersarum, quas creauit per bonitatem suæ gratiæ ineffabilis.

De Trinitate Personarum Diuinarum: Cap. II.

DEus enim vocatur, & est principium bonitatis, & causa bonorum: & hoc bonum bonitas essentiæ suæ reuelauit Sanctis suis; & patefecit distinctiones proprietatum personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & per Filium patuit, & explicatum est hoc mysterium, præcipientem baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pater genitor, & Filius genitus, & Spiritus sanctus procedens. Pater genitor Filij, & non genitus; Filius genitus à Patre, & non genitor; Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, tanquam ab vno principio; nec genitor, nec genitus. Distincti proprietatibus, & personis. Vnum natura & essentia. Propterea omnia sunt vnum in Diuinis, vbi non obstat relationis oppositio: reliqua enim, vt essentia, intellectus, & voluntas, communia sunt tribus personis. Pater distinguitur à Filio, paternitate; & Filius à Patre, filiatione; &

Spi-

Spiritus sanctus à Patre, & Filio, spiratione passiua; & Pater & Filius à Spiritu sancto spiratione actiua: & hæc spiratio actiua non constituit personam, at communis est Patri, & Filio; & per eam opponuntur Spiritui sancto oppositione originis. Et sicut sunt tres personæ, sic tres subsistentiæ, quæ dicuntur ad inuicem; & non sunt distinctæ ab essentia, re, sed fundamentaliter tantum; actualiter autem per intellectum; & Pater per intellectionem sui intellectus generat Filium. Et quia opus intellectus præcedit opus voluntatis; idcirco proprietate originis generat Filium, & dat illi omne quod habet, præter Personam Paternitatis; & Spiritus sanctus procedit per modum amoris & voluntatis; & in hoc nulla est oppositio inter Patrem, & Filium, quia Pater amat Filium, & Filius amat Patrem: & ab hoc amore procedit Spiritus sanctus, & vocatur spiratio actiua Spiritus in Patre, & Filio; & est sine diuisione tanquam in vno; & sic dant Spiritui sancto omne quod habent, præter Personas, quæ non communicantur ad inuicem, quia ex relationibus oppositis originis existunt. Et istæ tres personæ proprietate personali constituuntur; & vnaquæque illarum intellectualiter à nobis concipitur; & Deum, & substantiam, & naturam confitemur. Supra modum factibilium, vna est natura, vna est potentia, vna voluntas, vna essentia, vna dominatio, vna magnificentia, vna possessio, vnus intellectus, vna mens; propterea tres Personæ vnus Deus sunt. Tres autem dicimus in proprietatibus, non excludentes vnam Deitatem: & non dicimus tres Deos, aut substantias, aut naturas; sed vnum Deum, vnam naturam,

& vnam substantiam. Et sic venceramur Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate: trinè intelligitur proprietatibus, & vnè cognoscitur Deitate. Ne mireris (inquit Basilius ad fratrem) si dicamus, eundem vnitum & distinctum esse. Hæc enim per Fidem, & non per demonstrationes tenere oportet; & Fides à quæstione libera est: at intellectus non quiescit ab inuestigando, sed audet extendere se per omnia; sicut & habet duas potentias, vnam naturalem, alteram supernaturalem: per naturalem, per syllogismum, à sensibilibus potest figurare diuina; & per supernaturalem non eget syllogismo, per quem sciat Deum; quando est purus, & castus: at Fides sufficit. Non enim dicit, quis ascendit in cælum, & descendere fecit Christum; & quis descendit in abyssum inferni, & resurgere fecit Christum è mortuis? sed tantum Fide viuit. At non est vnusquisque capax huius rei; propterea vtimur rationibus. Itaque inuestigamus Deum, qui est nobis proximus, per quem viuimus, mouemur, & sumus; & à creaturis suis inuenimus eum, qui est id quod est, immortalis, viuus, & intellectualis. Quia ex his tribus donis videmus creaturas existere: nam sunt, viuunt, & intelligunt; eo quòd nihil potest esse constitutum in creaturis, cuius principium non sit apud ipsum Deum. Igitur in ipso est principium bonitatis perfectæ, continentis omnes substantias per suam totalem prouidentiam; & in ipso est principium sapientiæ intellectualis omnium creatricis, quia ipse est Sapiens solus, vt inquit Paulus; & in ipso est principium vitæ viuificantis omnia, vt inquit Salomon: Spiritus tuus bonus in omnibus inhabitat. Pater ex sua

præ-

præsentia est, & non ex aliqua causa: propterea ab ipso denominatur omnis Paternitas. Filius est Verbum Dei, & Sapientia; & per ipsum creata sunt omnia. Spiritus verò sanctus est fons vitæ essentiæ, per quem omnia viuunt. Et istæ tres personæ, eo quòd sunt perfectissimæ, nobis sunt unus Deus, sicut dixit Theologus; diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus. Nomina verò conuenientia Deo, toti Diuinitati competunt; & nomina communia de tota Diuinitate dicuntur; & quicquid fit per virtutem naturalis Deitatis, tribuitur toti Trinitati. Et sic sumunt omnes naturæ existentiam ab vno fonte abundanti essentiæ æternæ: & sicut Sol producit splendorem, & caliditas procedit ab vtroque, hoc est à Sole, & splendore; sic Filius generatur à Patre, & Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Non enim dicimus vnquam, caliditatem procedere à Sole sine splendore, nec à splendore sine Sole; sed sic ordine recto dicimus, quòd splendor habet modum generationis à Sole, & caliditas modum processionis à Sole & splendore: & sic Filius genitus, & Spiritus sanctus procedens est, alio modo à modo Filij. Propterea Pater & Filius æquales sunt in spiratione actiua, eo quòd sunt vita, & principium vitæ perfectæ; quia exponitur Spiritus vita, spirituales autem (hoc est habentes vitam.) Et vita intellectualium est ex igne & spiritu non elementali, sicut canit Dauid: Fecit Angelos suos spiritus, & ministros eius ignem ardentem: & vita plantarum, & ceterorum est ex igne, & spiritu elementali; & ista simul euanescunt, secundum Scripturam: Aufers spiritum eorum, & morientur, &

ad terram eorum reuertentur. Et intellectuales, etiamsi naturaliter viuant; attamen sunt facti, & causati. Sequitur necessario, quòd per gratiam viuant, & non perfectè ex se, & per se; vt Apostolus ait: per quem viuimus, & mouemur, & sumus. Etiam scriptum est: Dedit eis vitam æternam; hoc perpetuitatem gratiæ indicat: nec cohibet suam gratiam; deficeret enim perpetuitas vitæ eorum. Ergo donum non succiditur, nec vita corrumpitur. Vita enim diuina non sic; sed est supra omnes mutationes, & accidentia; & est simplex, & origo omnis vitæ, & causa; quia simplicitatem puram habet natura diuina, sine compositione. Deus enim spiritus est; & non sicut nos, sumit spiritum attractiuè: propterea Spiritus sanctus non procedit attritione vocum, neque commotione aeris; propterea non est creatus à sapientia; ergo non est priuatus persona, sed est persona perfecta, & omnipotens cum Patre, & Filio. Propterea Spiritus Dei est semper cum Verbo suo; & sic ex se, & per se viuit semper natura diuina, vita simplici, sine medietate alicuius rei; eo quòd est origo omnis vitæ, sicut psallit filius Isai: Quia tecum est fons vitæ. Spiritus autem, qui est in nobis, non habet tantum ex natura sua vitam, sed medietate aeris. Spiritus enim Dei non est sic; non enim attrahit aliquid extra, quia non est compositus, sicut nos: omne compositum, quia imperfectum; componitur, vt perficiatur. Deus enim est perfectus omnibus suis proprietatibus. Ergo motio Spiritus sancti est in se; propterea non procedit tantùm ab vna persona. Itaque audite quid Dominus dicat: Ego sum via, veritas, & vita. Et: Cum veniet Spiritus veritatis, ipse reget vos in omni veritate. Ergo Spiritus veritatis à veritate procedit sine dubio.

Etiam

Etiam dicit: Ego in Patre meo, & Pater meus in me est. Et: Ego, & Pater meus vnum sumus. Si Filius Pater vnum sunt ad inuicem; & ipse est via, & porta: & sine ipso nihil ingreditur ad Patrem: ergo & sine ipso nihil à Patre procedit. De Spiritu autem Sancto sic dicit: De meo accipiet, & renunciabit vobis. Et, Omne quod meum est, tuum est; & tuum meum est, dixit ad Patrem. Si Spiritus sanctus à suo accipiet, & ipse est æqualis Patri in omni possessione; quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis, quis negabit; priuando eum Spiritu sancto? Ecce vt Pater habet vitam in se; sic dedit Filio habere vitam in se. Ergo iustè oportet credere verè, & indubitanter cum Ecclesia sancta Romæ, quòd Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vna Spiratione actiua.

De generatione æterna Verbi Dei ex Deo Patre. Cap. III.

IN principio erat Verbum, indicauit Ioannes. Bereseith, autem est vocabulum hebraicum; Chaldaicè, principium interpretamur. Et quare dixit: in principio; & non: in primo? quia primo refertur ad secundum; si est primum, necessario & secundum; si secundum, & primum. Non autem sic principium: quia si est primum, est etiam principium; non autem si est principium, est primum. Principium est hora prima diei primi; sicut etiam scripsit Moyses: In principio creauit Deus cælum & terram: sed etiam si principium sit hoc vocabulum, sed determinatum est; quia in ea incepit Deus creare creaturas. Bereseith autem Ioannis non est principium:

quia non inchoauit Deus nouiter generare Filium; propterea non est determinatum; eo quòd sequitur: Erat Verbum: Indeterminatè autem, quando erat. Ecce apertè sublati sunt terminus & tempus, & quidditas, quando, & quomodo, è medio; quia ad Berescith Moseos de operibus Dei nobis ostendere pertinebat. Berescith autem Ioannis, de generatione æterna, & incomprehensibili Dei veri de Deo vero, nobis aperiebat. Et sciendum est, nullum ex Apostolis, aut Paulum; sed solum ipsum Ioannem, ac nullum aliam; vsum esse nomine Verbi, ad ostendendam æternitatem generationis Filij. Et etiam dicit, quòd ipsum Verbum erat apud Deum, & Deus erat ipsum Verbum. Ostendit autem Natiuitatem Filij essentialem à Patre essentiali; qui non est genitus, vt corpora, in loco & tempore, & decisione & natura; sed sicut verbum ex anima; quod quotiescumque anima est, & cogitat; necessario etiam verbum secum est; & quotiescumque verbum, & anima; & omnis anima est verbalis, & omne verbum est animale. At ex anima verbum, & non ex verbo anima. Et sicut voluntas animæ per verbum procedit ad manifestationem; sic voluntas latens Patris; per Filium, virtutem eius, & sapientiam, manifestata, & patefacta cœlestibus, & inferioribus; sicut indicauit Theologus filius Tharsorum: Sapientiam autem loquimur apud perfectos; sapientiam non huius sæculi, neque principatus mundi huius; sed loquimur sapientiam Dei in mysterio; quæ erat celata, & Deus prædestinauit eam ante sæcula, ad gloriam nostram. Etiam dicit, quòd hoc erat in principio apud Deum. Deus enim est hoc Verbum, & apud Deum est; cum non sit aliud, id quod est: sed id quod est, est quod est apud ipsum. Varietas enim in

nullo

nullo ſubſtantialiter ; ſed in perſonis eſt diſtinctio ; eo quòd vnus eſt apud alium . Ecce ſicut Sol ex internubibus appa ruit . Ibi enim Verbum apud Deum ; hic vero Deus apud Deum . Ibi demonſtratio apud veritatem ; hic verò veritas apud veritatem. Bene vides: ſcriptor totum myſterium Theologiæ terminauit in breuitate ſermonis . Et etiam dixit : Omnia per ipſum , & ſine illo factum eſt nihil . In hoc enim : omnia : nihil reliquit , quod non eſt incluſum , & determinatum in ipſis. Proſdioriſmos enim includens omnia . Nihil enim eſt extra omnia . Ergo fidele eſt verbum, & dignum vt credatur , quòd Verbum erat in principio non determinato , & non temporali ; ipſemet quia in Bereſcith determinato, & temporaneo creauit cælum, & terram; iuxta Paulum: In ipſo autem fecit ſæcula , & per ipſum creatum eſt omne, quod eſt in cælo ; & in terra ; omne quod videtur , & non videtur . Igitur patet, omne quod eſt , intellectu & ſapientia fit ; ſicut Sapiens affirmat , quòd Dominus in ſua ſapientia poſuit fundamenta terræ , & conſtituit cælum in ſua intellectione . Propterea Filius Verbum , intellectus Dei vocatur à Philoſophis ſpiritualibus ; quia ipſe eſt virtus, & ſapientia , & ſplendor gloriæ eius . Et Theologus etiam affirmat , Chriſtum eſſe virtutem Dei , & Sapientiam Dei ; & Sapientia etiam dicit de ſeipſa : Ego ex orè Altiſſimi proceſſi . Et Salomon etiam in ſua Sapientia magna affirmat ; quòd Deus ſit Pater ſuus , & Dominus omnium dilexit eam; quia eſt à ſecretis Dei , & à conſilijs : & ſic per Verbum Filium Sapientiam Patris , omne quod eſt , accipit eſſe; & per gratiam ſuam magnam, in principio compactionis ſuæ , principij generis noſtri; vocauit nos , & fecit nos ad imaginem , & ſimilitudinem ſuam : & omnis

nis imago participat ideam in identitate nominis, etiamsi non in identitate termini. Et dum hunc gradum magnum honoris, siue dignitatis, suscepit genus nostrum; inuidit ei Satan, & traxit naturam humanam ad legem peccati; & corrupta est, & maculata est effigies imaginis suæ; & senuit pulchritudo eius in peccato; & cum multi medici extiterint, nullus ex ijs potuit facere, vt possideat sanitatem.

De secunda generatione Filij æterni, qui incarnatus est, & natus est iterum cum carne. Cap. IV.

QVid igitur? Videns omnium factor, quòd corruptum est opus manuum suarum; & fuerunt Sacerdotes & Leuitæ, & Prophetæ, nec potuerunt vlcera eius sanare, nec subleuare; misertus est eius, & cœpit opem ferre ei. Et quia congruebat vt genus humanum per eum haberet renouationem, per quem acceperat esse; propterea ille, qui natus est ante tempora, à Patre sine Matre; factus est homo in generatione temporanea, à Matre sine Patre: sicut dixit Baruch: Nascetur ex Virgine in Bethelem, & natiuitas eius ante sæcula; eo quòd ei tantùm conueniebat hæc dispensatio. Et cum esset in forma Dei inuisibilis, exinaniuit seipsum, formam serui accipiens; & descendit Filius Deus Verbum à sinu Patris, & habitauit in ventre matris suæ Mariæ Virginis, & sumpsit ab ea naturam humanam perfectam anima & corpore; & vniuit eam substantialiter suæ personæ, ne sagittæ inimici eius in genus humanum iaciantur; & venenum aspidis, sicut antea, illud offendat. Et sic ambæ naturæ, diuina & humа-

humana, terminatæ sunt in vna persona Verbi; eo quòd natura humana non secum tulit personam humanam, quia non habebat subsistentiam: propterea terminata est in persona Verbi; quia substantia significat id quod est; & persona est quæ facit subsistere id quod est. Et sic ambæ naturæ perfectæ, diuina & humana, terminatæ sunt in vna persona Verbi; eo quòd natura humana non secum tulit personam humanam, quia adhuc non subsistebat: propterea terminata est à persona Verbi; quia substantia significat id quod est; & persona, id quod facit subsistere id quod est. Natura autem humana Christi, antequam sit id quod est, terminata est à persona illius, quod erat: quia cum efformatione facta in ventre, impleta est Spiritu sancto; & à Spiritu sancto concepta est, & vnita est personæ Verbi substantialiter. Ac etiam si à Spiritu sancto concepta est, & eo impleta est; nihilominus Verbum incarnatum est, & genitum est ex beata Maria semper Virgine. Ne quis autem ponere possit in medium blasphemiam hæreticam, Angelus confirmauit hoc apertè, eo quod inquit: Quòd Spiritus sanctus superueniet, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; propter hoc id quod nascetur ex te, sanctum est, & filius Altissimi vocabitur. Quia Spiritus sanctus in dispensationibus dirigit ad id quod decet intellectuales; sicut scriptum est: Misisti enim Spiritum sanctum tuum de cælis, & sic semitæ factæ sunt super terram, & didicerunt homines voluntatem tuam. Et quemadmodum facta est visitatio ad Saulum, primus impletus est Spiritu sancto in impositione manus Ananiæ; & cecidit ex oculis quod simile squammis; & mox cœpit prædicare de Iesu, quòd sit Filius Dei. Propterea post suam obedientiam determinauit, & confirmauit, quòd

non

non sit vllus, qui in Spiritu Dei loquatur, & dicat quòd Iesus sit anathema: neque vllus dicere potest, quòd Dominus est Iesus, nisi à Spiritu sancto. Propterea Spiritus sanctus cœpit splendere in dispensatione Domini, & à Spiritu sancto conceptus est. Sed Verbum factum est caro, & vniuit naturam humanam suæ personæ, & sustinuit humilia cum sua carne; & natus est ex sua Matre, cum non mutatus sit, aut variatus in sua natura æterna; neque separatus est, aut recessit à sinu Paterno; quia illi æqualis est in essentia: non quòd sua natura per conuersionem caro facta sit, aut conuersa in totum hominem ex anima & corpore. Et neque natura illius diuina principium sumpsit à Maria Virgine sancta; sed naturam humanam vniuit suæ personæ: & sic in vna hypostasi natus est ex beatissima Virgine. Quia Verbum per vnionem substantialem, Caro factum est in vtero puræ Virginis; & ex Spiritu sancto Virgo concepit, iuxta annunciationem Angelicam. Igitur id quod concipitur, necesse est vt nascatur: & sic Deus Verbum appropriauit sibi natiuitatem carnis ex beata, & benedicta sancta Virgine Maria. Propterea recte vocatur, & verè est conceptrix Dei, & Genitrix Dei, & Mater Dei.

De distinctione recta personæ. Cap. V.

Dicimus autem, quòd essentia significat id quod est; & persona est, quæ facit subsistere id quod est. Essentia autem continet principia speciei, quæ definitione explicantur. Persona autem addit ad principia speciei, principia indiuiduationis. Igitur persona est indiuisibilis in se, & incommunicabilis alteri; ita vt persona sit subsistens in natura intellectuali in se, & ex se, dum est distincta actualiter à natura, quam ipsa facit subsistere. At in Diuinis non sic: sed substantia & essentia, & similia, quæ non dicuntur ad inuicem; tribus Personis sunt communia. Et quia ponitur relatio opposita originis, propterea actualiter distinguuntur hypostases à se inuicem, & non ab essentia, quæ est communis Personis Diuinis. In his autem creatis substantia est communis essentiæ, & subsistentiæ, & personæ, quia hæ omnes sunt substantia. Essentia autem est substantia, quæ declaratur per genus & differentiam; subsistentia est substantia, quæ vltimo constituit res, vt sint extra suas causas; persona autem est substantia, per quam aliquid stat per se, & ex se, dum est distinctum ab omni alio. Essentia enim in Paulo, est animal rationale. Subsistentia est id, per quod vltimo est extra suas causas. Persona autem est id, per quod existit incommunicabiliter. Paulus enim non communicat cum Petro; sicut si quis dicat: Ego, tu, Paulus distincti sumus ab inuicem. Ego autem personam meam ostendo, quæ facit subsistere meam naturam: nisi ego essem, neque natura mea subsisteret. Et sic tu, & Petrus facitis vnusquisque subsistere naturam, ne cadat. Propterea

pterea dicimus in vnione Christi naturas personæ, & non personas naturarum. Vt si quis dicat: anima mea; corpus meum; natura mea. Eodem modo puta de singulis personis. Et etiam operationes animæ & corporis prædicantur ad inuicem; & operationes vtriusque prædicantur de persona; vt illud Sampsonis: Moriatur anima mea cum Philistijn. Patet enim animam non mori. Et ecce dicitur de illa mors corporis: & fuerunt etiam mortui, qui mortui sunt in morte Sampsonis, qui est persona; plures quàm mortui sunt in vita eius. Ecce etiam dicitur mors de persona, quia illius sunt anima & corpus; eo quòd ipsa est, quæ terminat ea. Itaque fratres, qui vult relinquere omnes hæreses, & conformare se orthodoxè in Fide Catholica; sic debet considerare duas naturas vnitas, Dei & hominis, cum vult perfectè tribuere omnes proprietates, & actus personæ Verbi: tam sublimia & alta, quæ habet natura Diuina: quàm infima, & vilia, quæ habet natura humana; & sic liberatur ab omni fictione. Si autem corpus & anima, quæ sunt composita ad tempus, & per mortem iterum dissoluitur illorum compositio; sic terminat persona omne quod habent, sicut semper ostendimus; quantò magis persona Verbi, quæ neque per mortem amisit suum? Anima enim relinquit corpus; at Verbum per vnionem substantialem non recessit neque à corpore, neque ab anima. Quod enim assumpsit, non amisit, nec amittet. Sic enim omnis possessio perfecta vtriusque naturæ inuariabilis in suis proprietatibus; est propria personæ Verbi. Et ex his quæ diximus, patet, quòd Filius Christus totus est Deus perfectus, & totus est homo perfectus sine varietate naturarum.

De

De duabus voluntatibus, & duabus operationibus in Christo. Cap. VI.

OMnis qui fatetur vnum Filium, eget reciprocatione proprietatum Dei & hominis: quia quemadmodum habet duas naturas perfectas; sic duas operationes, duas voluntates, & duos intellectus: eo quòd naturæ Deitatis, & humanitatis non mutatæ sunt per vnionem substantialem. Sequitur etiam proprietates earum conseruari in eis sine mutatione. Propterea dicimus, in Verbo esse duas voluntates; Diuinam scilicet, quæ est communis alijs Personis Diuinis; & humanam, quam propriè habebat; eo quòd ipse solus, & non aliæ personæ, terminabat naturam humanam. Idipsum apertè ostendit Dominus noster, dicens Patri suo: Fac transire à me calicem istum. & mox: At non mea, sed tua voluntas sit. His verbis aperte demonstrauit se habere duas voluntates: quando enim dixit: Non sit voluntas mea: non poterat loqui, nisi de humana tantùm voluntate, quam ipse solus habebat. Quando autem dixit: Sit voluntas tua: patet ipsum loquutum esse de Diuina, quæ actu erat in tribus Personis; eo quòd non erat ad alium, neque opposita alteri Personæ, oppositione originis: vt enim diximus superius, omnia sunt vnum in Diuinis, vbi non obstat relationis oppositio. Et quemadmodum habet duas voluntates, sic & duas operationes: quia ea, quæ habent vnam operationem, necessariò & vnam naturam. Ex duabus naturis dissimilibus non potest procedere vna operatio. At operationes, & voluntates Dei & hominis, non per se, & ex se singulæ in natura sua diuisibiliter, & separabi-

rabiliter operabantur; sed ordine ad inuicem agebant sua naturalia; sicut naturæ ordinatæ erant sine confusione, & diuisione; quia vnus erat, à quo fiebant. Sicut culter in igne comburit, & incidit; incisio autem est ferri, & combustio ignis; & incisio est aliud, & combustio aliud; & ab vno ambo fiunt proprie. Et sic in Filio admirationis Iesu reperiuntur duæ operationes, ordinatæ ineffabili admiratione: cui, & Patri, & Spiritui sancto gloria indiuisibilis per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Completa est Fides facta à Patre Adam Orientali, per gratiam Domini Presbytero, & Monachorum, ac Presbyterorum Domini Eliæ Babylonis Patriarchæ capite. Anno 1974. Regis Græcorum, Romæ. Diebus Beatissimi Patris, & Petri nostri temporis, Domini Papæ Pauli Quinti; cuius oratio nobiscum sit. Amen.

SER-

SERMO
CONTRA HAERESES
DISSENTIENTES A VERITATE ECCLESIAE CATHOLICAE ROMAE.

QVIS autem, fratres, ex veris Christianis, qui nesciat verè Iesum Christum, qui in carne venit, esse Deum Magnum, iuxta Paulum; & hunc esse Dominum omnium, secundum Petrum? Quam veritatem amplectitur Ecclesia Apostolica Romæ: sed quia multæ hæreses ab hæreticis prolatæ sunt; necesse est vti argumentis, & quæstionibus contra opiniones, & dogmata falsa. Horum vnus est Nestorius, qui callidè seducit opiniones simplices à veritate; docens per suam scelestam doctrinam, Iesum Christum esse hominem simplicem. Et videtur etiam asserere duos filios ex tota doctrina sua; vnum assumptum, alium assumentem; vnum latentem, alium patentem; vnum habitationem, alium habitatorem; & tanquam per societatem, ipsam vnionem substantialem Diuinitatis & humanitatis includit: & similia huiusmodi asserit, quæ auris Catholica ferre non potest. Propterea sic contra eum dicimus; Si enim verè est vnio ad duo, necessario duo sunt: at vnus est solus Christus; in vnione enim substantiali & vera inconfusæ permanserunt naturæ: ergo & proprietates naturarum.

rum. Nam etsi ex alio, & alio constitutus est Christus, at non est alius, & alius. Omne compositum, ex partibus imperfectis componitur; ideò patitur mutationem accidentium. Non ita vnitas Christi; ex duabus enim naturis perfectis constituitur, vnitis substantialiter; propterea est supra omnes mutationes, & accidentia: natura enim Diuina incommutabilis est, vt scriptum est: Ego sum Deus, & non mutor: & etiam natura humana similiter ex se, & in se existeret, nisi à Persona Diuina assumeretur tamquam magis hypostasis terminaretur. At id quod est proprium Verbo, non est commune Trinitati, etiamsi tres Personæ mysterium Incarnationis sint operatæ: sed Verbum solum incarnatum est, & homo factum in vnitate personæ, non naturæ. Si vnus est Filius, ergo & vna persona; non enim possunt duo hypostases existere simul in vno. Propter hoc testatum est Verbum de vnitate suæ personæ, quæ terminat duas naturas, dicens: Amen, Amen dico vobis, quòd veniet hora, & nunc est, cum mortui audient vocem Filij Dei; & ij qui audiant, viuent. Et demonstrans vnam hypostasim indiuisibilem terminantem duas naturas; iterum dixit, quòd sic ipse Filius hominis: Non admiremini, quòd veniet hora, cum omnes qui sunt in sepulchris, audient vocem eius, & egredientur. Etiam dicit Nestorius: Infans Domini, & Dominus infantis. At non sic: Hìc enim necessario ingreditur relatio ad aliquid, & diuidit in duo; sed statim caro, caro Domini; statim anima, anima Domini; statim infans, infans Dominus; & sine præpositione Daleth, quæ est apud Chaldæos signum relatiui. Etiam dicit de Sacramentis viuificantibus, corpore, & sanguine hominis simplicis

cis sine Deo nutriri nos. Absit: verum enim corpus Dei manducamus, sed Dei incarnati; verè sanguinem hominis bibimus, sed hominis Dei; verè corpore, & sanguine hominis reficimur; at hominis, qui fuit in anima viuens, & in spiritu viuificans; illius hominis, quem vocauit Daniel, Vitam Dei, dicens: Quòd inspicietis vitam Dei ambulantem super terram, & non intelligetis; quia in similitudine hominis ambulabit super terram; illius hominis, qui dixit: Ego sum panis, qui de cælo descendi; illius hominis, qui promisit se ascendere ad regionem, in qua erat prius; illius hominis, qui dixit: Nemo ascendit ad cœlum, nisi Filius hominis, qui de cœlo descendit. Non enim vnquam manducamus id sine Deo; Absit. Si Filius verè est Sapientia Patris, secundum Theologos; ergo scriptum est de Sapientia, quòd ædificauit domum, hoc est Ecclesiam; & constituit in ea septem columnas, hoc est septem Sacramenta Dominica, quæ recipit Ecclesia Romæ; de qua specialiter dictum est hoc, quòd sit fundamentum verum, & Mater Ecclesiarum; & etiam mactauit suum sacrificium, & commiscuit vinum suum, & præparauit mensas suas, hoc est corpus, & sanguinem Domini. Igitur hoc corpore, & sanguine Filij Sapientiæ Patris proculdubio nutrimur. Etiam distinguit nomina Dominica, quòd Iesus sit humanitatis, & Dominus Diuinitatis, & Christus Diuinitatis & humanitatis. sed non ita: Si enim naturæ non possunt diuidere vnitatem Christi, quanto minus nomina, quæ sunt extra naturas? Sed omnia nomina Dominica, cum naturis, & proprietatibus vna persona Verbi terminat, vt dictum est. Scriptum est etiam in Isaia: Ego viuo, ait Dominus, & mihi incurvabitur

omne genu. Et Apostolus concludit: In nomine Iesu omne genu flectatur. Ergo Deus est verus Iesus, & non homo simplex. Audi quid dicat ad Patrem: Pater clarifica nomen tuum; & vox audita est de cœlo: Clarificaui, & iterum clarificabo. propterea iterum dixit: Quia Pater est, qui me clarificat. Et scriptum est: Gloriam meam alteri non dabo. Ergo non est alter à Deo, Iesus Christus: sed ipsemet est Deus, qui operatur diuina & humana; quia eiusdem sunt ambo: eiusdem est natiuitas ante tempora; & eiusdem est natiuitas temporalis: idem Filius Dei, & idem filius Mariæ: est vnum quid cum Patre, & vnum quid cum matre; ipse qui iacet in præsepe, & eo plenum est cœlum & terra: ipse est infans, qui crescebat statura; & ipse est senex dierum, quem vidit Daniel in reuelatione; ipse est splendor à Patre, & resplenduit etiam à domo Dauid, sicut prophetauit Hieremias; ipse in Caluario, & ipse super thronum gloriæ; in carne eius sunt infixi claui, & lancea; & sanguis stillabat super membra eius; & qui non comprehenditur, includitur in sinu; ipse, qui descendit ad inferiora terræ, & ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris sui. Igitur fratres ne admiremini, neque perturbemini, audientes hæc vocabula de vno Filio; sicut fecerunt multi deficientes à veritate, ponentes diuisionem in vnitate indiuisibili, quæ existit in vna hypostasi; variè vocabula confundentes; quæ de illo prædicantur; & iuxta duas naturas non similes, quas habet; quia hæ naturæ postulant proprietates necessario. Propterea aliquando diuinè, aliquando humanè operatur; aliquando diuina de homine, aliquando humana de Deo dicuntur in vna persona Verbi. Idcirco omnis, qui sollicitè non

ample-

amplectitur hoc dogma, numquam liberatur à seductione obscura hæresum. Igitur debemus fugere à vocibus blasphemis, & audire Fidem rectam Iesu Christi, qui substantialiter erat perfectus & rectus; & non per accidens iustificatus est, & perfectus, iuxta opinionem hæreticorum. Absurdum enim est, fratres, vt quis cogitet de illo, qui à Spiritu sancto conceptus est, & Spiritu sancto impletus est, dum est in ventre materno; egere sacrificijs, vt pro se offerret, & sic paulatim perficeretur, & dignus fieret dignitate Pontificia. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; sicut ipse testatus est: Quis ex vobis potest me arguere de peccato? Ideo dictum est illi à Deo per Dauidem: Tu es Sacerdos in æternum. Et Apostolus vocat eum, Filium perfectum in æternum. Itaque patet, nullum esse in creatis, cuius dignitas Pontificia in æternum duret; nec in rationalibus, qui habeat perfectionem totalem, nec in hoc sæculo, nec in illo futuro; sicut dixit quidam Theologus, quòd perfectio huius noui sæculi, quam docent Scripturæ, & Patres asserunt, non sit in comparatione perfectionis completæ Dei; sed in comparatione carentiæ, & defectus, & compositionis sæculi huius in comparatione ad illud sæculum spirituale. Si enim in sæculo nouo ita perficiuntur Sancti, vt non sit sumere gratiam, nec dare gloriam, nec soluere, neque præstare gratiarum actionem, ob perfectionem illorum; defecit igitur ratio, vt sint sine necessitate complete: nulla est enim perfectio completa, sed soli Naturæ Diuinæ, quæ dat perfectè, & non deficit. Ita Iesus Christus non est perfectus, eo quòd accipit, vt Sancti, perfectè; sed eo quòd perfectè dat, vt Deus. Non enim surrexit inter natos mulierum maior filio Zachariæ; & clamat: Ego

à te baptizari; neque vllus est perfectior Ioanne minori, qui in suo Berescith tetigit occulta ante sæcula, & patefecit abscondita diuina; & testatur nos omnes accepisse à plenitudine eius. Ex hoc necessario sequitur, vt Iesus Christus Dominus gloriæ, substantialiter, & propriè sit perfectus in æternum. Benè igitur Theologus determinatè vocat Filium, Perfectum in æternum. Etiam dicit Nestorius, tanquam in templo Diuinitatem in humanitate inhabitare accidentaliter, & non substantialiter; & Christum esse hominem simplicem: idcirco non vocari Mariam Virginem, sanctam Dei Genitricem; sicut nec matrem Moysis appellari Matrem Dei, eo quòd vocatus est Filius eius, Deus. Et hæc blasphemia scelere est plena, eo quòd Moyses non est Filius Dei, sed filius Amsam; & sequitur necessario esse illius à quo natus est. Christus enim est Filius Dei, propterea Deus est. An ne audistis, Legem per Moysem datam esse; veritatem autem & gratiam per Iesum Christum existere? Moyses enim metaphoricè nominatus est Deus Pharaonis vnius parsp.e. Christus autem non nuncupatus est, sed est Deus super omnia. Deus magnus, inquit Paulus. Et alibi, esse multos Deos, multosque Dominos: sed nobis est vnus Deus Pater, per quem omnia, & nos per ipsum; & vnus est Dominus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Igitur falsa est hæc opinio, existimare Christum esse hominem Deiferum, aut non perfectum Deitate, sed in parte plusquam alij Sancti. Quidam Theologus sic dixit, Diuinitatem Christi non esse partem, neque totum. At Apostolus indicaut, quòd Filius Dei Iesus Christus non erat, est, & non; sed, est, erat in ipso: propterea non est Deus in Christo dubitanter; sed Deus in natura est

Chri-

Christus, eo quòd habitauerit in eo plenitudo Diuinitatis corporaliter. Hoc est, non solũ spiritualiter habitauit Deus in Christo per gratiam, sicut in alijs Sanctis; sed etiam corporaliter in illius corpore, quod erat substantialiter vnitum Personæ Diuinæ. Et si dicas: Apostolus dixit, plenitudinem Diuinitatis; & non specialiter, Deum Verbum: & hoc sequitur tres Personas; propterea impossibile est. Parce mihi; audi Filiũ dilectum, quid dicat: Pater meus, qui in me habitat, ipse facit hæc opera. Modò certum est, nullum accidens, aut mutationẽ esse in natura Diuina: sed est, sicut erit; & erit, sicut est. Igitur essentialiter habitat in ipso Pater; & ex hoc necesse est, vt Spiritus sanctus ex eo procedat, tanquam ex Patre: & ipse habet substantialiter corpus naturæ suæ humanæ; & sic in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et si forte non sufficit tibi hoc; audi, dicam aliud clarius. Apostolus enim sollicitudine magna in epistola ad Colossenses, agens de plenitudine Diuinitatis & humanitatis Christi, quomodo existant in vna hypostasi indiuisibili, & indistincta; propterea sic primo dicit: Ille, qui est similitudo Dei inuisibilis, &c. quæ de sua Diuinitate ostendunt. Et mox de sua humanitate dicit, quòd ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; & in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Modò verò in ipso capite corporis Ecclesiæ inhabitat omnis plenitudo cum donis, quæ sunt in ea, siue quæ sunt in cælo, siue in terra: at non sine Diuinitate sua, sed cum Diuinitate sua; eo quòd prius affirmauerit ipsum esse imaginem Dei inuisibilis, & inde mox in ipso inhabitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter: hoc est, non sine humanitate, sed cum sua humanitate; nec spiritualiter tantum, sed

etiam corporaliter. Ibi enim corpus corporatum secum tulit imaginem Dei inuisibilis, ad communicationem plenitudinis eius. Hic enim inuisibilis communicauit corpori in sua plenitudine; & volens Apostolus congregare duas plenitudines in una hypostasi, iterum præcepit Colossensibus: Expoliate hominem veterem cum omnibus suis actibus; & induimini nouum hominem, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum; vbi non est Gentilis, & Iudæus; nec circumcisio, & præputium; nec barbarus, & Scytha; seruus, & liber; sed omnia, & in omnibus Christus. Hic enim terminatur, quod scriptum est? Deus omnia, & in omnibus. & tota hæc plenitudo, & perfectio cõpleta eius, qui omne in omnibus perficit.

Deprecatio Auctoris.

Accensus est calamus, & charta in igne tuo Iesu, intellectus intellectuum rationabilium; & defatigatus est, & quieuit subtilis intellectus ab inuestigando mysteria ineffabilia. Inflammati sunt oculi, & debilitati digiti; & permanserunt ab effigurando tuas similitudines; cum non sit præter te aliquid, per quod comprehendaris. Propterea concitatum est cor meum supra calamum, & volo effringere eum, qui me decepit, & gratis me defatigauit in frequentia scripturarum atramentalium; & non perduxit me ad portum terminorum tuorum interminatorum. Sed tu omnipotens educ me tuo rete, à profundo ignorantiæ ad portum gratiarum tuarum; & sim tua pars. Amen.

Oppo-

Oppositio contra dogmata Theodorica.

THeodorus dixit: Stultitiam dicere, post resurrectionem, sufflantem Dominum nostrum in suos Discipulos, dedisse eis Spiritum sanctum; aliter frustra diceretur eis: Manete in ciuitatem Ierusalem, donec induamini virtutem ab alto. Nos enim dicimus, illam esse magnam stultitiam, vt quis ponat terminum, & tempus, & limites Personis Diuinis simplicibus. Ecce enim Filius à Spiritu sancto conceptus est in suo baptismo, descendit super eum Spiritus sanctus, sicut corpus columbæ: & certum est, quod non accepit de nouo Spiritum sanctum, quasi non haberet. Propterea credimus, & fatemur, verè Apostolos accepisse Spiritum sanctum à Domino nostro Iesu Christo ante passionem; & post resurrectionem suam, ante Ascensionem; & post per donum dignitatum. Ante passionem enim, cum ordinauit eos ministros; & misit eos binos, binos; & dedit eis potestatem super spiritus immundos expellendos. Et hoc apertè demonstrauit Dominus, cum eos misit, asserens eis: Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri loquetur in vobis: non enim dixit, loquetur pro vobis; sed, in vobis. Et sic post resurrectionem suam insufflauit in eos; & acceperunt Spiritum sanctum, & virtutem dimittendi peccata. Etiam ante Ascensionem extendit manus suas super eos, & benedixit eis; id est, & consolabatur eos, promissione Paraclyti, dicens: Ego orabo Patrem meum, & alium paraclytum dabit vobis; quod interpretatum est, Spiritus sanctus; vt consolaretur illorum tristitiam. Et volens magis confirmare eos, dixit: Est in vobis, & habitat apud vos. non enim

dixit: apud vos habitat tantummodò; sed, & in vobis est: ostendens per hoc, quòd sit vnus, quem accepistis antea, & quem accipietis postea. At diuisiones gratiarum distinctæ sunt, sed vnus est Spiritus: & sic Apostoli per descensum Paraclyti susceperunt consolationem, & spem rectam. Etiam affirmat, quando dixit Thomas: Dominus meus, & Deus meus, Christo; non dixisse ei, ac si ipse esset Dominus eius, & Deus eius; sed clarificasse Deum propter opus mirabile, quod vidit in sua resurrectione. At respondit apertè Thomas, & dixit; Dominus meus, & Deus meus: per hanc dictionem ei clarè ostendit, tantum Christo dixisse: Dominus meus, & Deus meus. nisi enim adesset hæc dictio, fortè aliquis dubitare de hoc posset. Etiam de eo, quod dixit Simon in Actibus Apostolorum: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini Iesu; dicit hoc nomen non esse Dei, sed hominis Iesu; & quia ab eo inuentus est baptismus, nuncupatur suo nonomine; & habet distinctum sensum ab eo, quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. At neque hæc opinio vera est: nomen enim pertinet ad communitatem, & non impedit Personas Diuinas, præter personam genitoris, & geniti, & processionem actiuam, & productionem. Propterea dum aliquis dicit: In nomine Patris: commemorat tres Personas Diuinas; In nomine Filij, aut in nomine Spiritus sancti, tres Personas inuocat. Non enim præcepit Dominus baptizari in nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti pluraliter; sed in nomine Patris, &c. singulariter; quia vnus est Deus, sicut dixit Filius: Pater clarifica nomen tuum. & etiam dicit: Est Pater, qui me clarificat. Ecce enim vnum nomen prædicatur de ambobus, quia non est oppositio

rela-

relationis. Etiam dixit: Paraclytum Spiritum sanctum mittet Pater in nomine meo; & si in nomine Filij, etiam Spiritus sanctus mittitur à Patre. Ergo nullo modo distinguitur sensus illius sermonis Simonis, qui præcepit in nomine Domini Christi; ab eo quod præcepit Dominus noster, baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Illud enim, quod præcepit Simon baptizari in nomine Domini Iesu; hoc est, vt obtemperent præcepto Domini Iesu, & baptizentur baptismo, quem docuit; quia neque ignorabat Simon id quod præcepit Dominus baptizari in nomine Patris; & Filij, & Spiritus sancti. Etiam negat prophetias factas esse de Christo: O homo quid respondes Iacob? qui prophetauit de Christo nascituro de semine Iudæ, qui apertè dicit: Non peribit sceptrum è Iuda, & dux à pedibus eius, donec veniat, cuius est venire; & ipsum expectabunt gentes. Et Daniel affirmat de hoc, dicens ad suos: Veniet, & sui non cognoscent eum. & dixit: Non possum explicare de illo, quid sit; sed in spiritu secretum de illo dicam. Etiam Philippus inueniens Nathanael, sic ei dixit: Quem scripsit Moyses in lege, & in Prophetis, inuenimus, Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et clarius Iesus docuit Lucam, & Cleopham; incipiens à Moyse & Prophetis, interpretari illis de seipso. Breue mihi iam tempus enarrare de singulis Prophetis, quomodo de illo prophetauerunt, & quomodo completa sunt de ipso verba eorum: non enim dico, quia prophetauerunt de ipso, venit: sed quia, venturus erat prophetauerunt. Etiam dicit, quòd Deus Verbum non substantialiter ex Virgine natus est; sed associatus est cum eo, qui est ex substantia Virginis: propterea omnino non decet vocari Matrem Dei, sed Christi tantum. Et exponens verbum Domini

mini dicentis: Pater qui in me habitat, facit opera hæc; hoc confirmat ab homine Iesu dictum esse ad Patrem Deum. Hoc est: Ego ex natura mea humana non possum quicquam facere; sed habitat in me Filius vnigenitus; & vere Pater in ipso est: propterea ipse facit hæc opera: Non sic: Si enim homo templum est tantum Diuinitatis, iuxta sermonem tuum; quare non dixit: Ille qui in me habitat, hæc opera facit? Sed: Pater meus, qui in me habitat, aperte dixit. Hoc ostendit de vna hypostasi, quæ terminat ambas naturas vnius Filij: & quemadmodum Deus, Pater huius vnius Filij est; sic est etiam Maria, mater huius vnius Filij. Et si, vt dixisti, homo est habitatio Diuinitatis, & habitat in ipso Pater, sicut & habitat in ipso Filius; ergo frustra diceretur: Verbum caro factum est; quod absurdum est. Etiam dicis: Humanitas est tanquam forma, quæ complet similitudinem illius, quod non est præsens. Bene dicis: illius, quod non est præsens: ore proprio iudicaris: quia humanitas Christi non est forma illius, quod non est præsens; sed illius, qui est præsens: propterea homo est imago plena ab Idæa, quæ est Deus; & sic Idæa complectitur imaginem; & ambæ fusæ sunt in vna formula, quæ est persona Verbi; & in vna sphæra splendescit gloria ambarum; & sic vna adoratione adorantur simul, non tamquam forma vacua à sua Idæa; & formatur ab alio, quod non est suum. Ecce enim dictum est à Domino Deo: Venite, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quæ est apud Adam antiquum, formatum exemplar illius; & apud Adam nouum opere completum est. Itaque omnis imago, quæ habet similitudinem perfectam suæ Idææ, non est imago simplex, sed ipsamet Idæa, sicut Philosophi asserunt. Etiam Theodorus de Christo dicit,

quòd

quòd Spiritus sanctus ducebat eum ad decentia semper; & egebat ab illo habere virtutem, qua aduersa vinceret, & purus, & iustus videretur. Non sic: Si Verbum substantialiter vniuit naturam humanam suæ Personæ; ergo in ipso est omnis operatio perfecta: quia singulæ singulæ Personæ Diuinæ sunt ex se, & in se perfectæ, & non egent cooperatione alterius ad perficienda sua opera; quia persona remouet omnem imperfectionem ab eo quod terminat; & sic subsistit in se, & ex se sine necessitate; & si inueniatur in aliquo imperfectio, ibi non prædicatur persona. Ecce enim homo componitur ex duabus rebus, hoc est, corpore & anima; & vnumquodque illorum habet operationes distinctas: at non potest anima perficere suas operationes sine corpore, nec corpus sine anima; propterea non prædicatur persona, nec de anima, nec de corpore: & dum copulantur ad inuicem, tunc terminantur ab vna persona necessario; & sic producunt suas actiones in actum, & existunt vna perfectione, & vna connexione compositæ. In Diuinis non sic: sed vnaquæque Persona est perfectè Deus, & natura perfecta, & sic a perfecta: propterea sunt tres. & illa vnitas indiuisibilis, quam habent ad inuicem, non est, vt auxilium sumant, & virtutem ad perficiendas suas operationes; sed naturaliter sunt vnitæ inter se sine confusione, quia vna est natura illarum, vna potestas, vna virtus, vna essentia, vna maiestas, vna fortitudo; & non est vna maior altera, minor, neque prior, neque posterior; propterea vnus Deus sunt. Et sic Spiritus sanctus non adhærebat Filio propter necessitatem ipsius Filij, sed propter vnitatem naturæ. Etiam interpretatur id, quod dixit Dominus custodienti suum sermonem: Ego & Pater meus veniemus, & mansionem

apud

apud eum faciemus; dixit: hoc non potest esse iuxta carnem, vt possit facere mansionem apud singulos Sanctos; propterea affirmabat hoc tantum conuenire Filio Verbo. Nos enim dicimus, quòd duæ naturæ vnitæ substantialiter non diuidunt vnitatem vnius Filij. Et etiam peruersa videtur interpretatio huius rei. Si enim homo causa Filij est Filius, Filius inquam non Filij, sed Patris: Ergo etiam Filius Verbum causa hominis est Filius matris. Si enim illum, qui non est participans in generatione æterna, nisi causa vnionis hypostaticè; vocas, & est Filius Dei; quanto magis ille, qui est particeps vnionis hypostaticè in generatione temporali, vocandus, & debet esse verè filius Mariæ? Et si dicas: non comprehensus est Deus in ventre Virginis: etiam hoc nos tecum confitemur. At non est comprehensus, quia non habet limites; non quòd pars aliqua eius vnita sit homini, sicut tu fateris; sed perfectè in tota sua incomprehensibilitate humanatus est. Et sic homo cum tota sua Incarnatione Deificatus est. Propterea credimus verè, quòd faciat mansionem cum suo Patre apud vnumquemque Sanctorum; quemadmodum, & cum corpus eius sit in cœlo, in Ecclesiis impertitur in Sacramento Altaris; & singuli sumptores sumunt totum corpus perfectum, & non particulam; & ipse est, qui est in cœlo & in terra. An ne ego hæc affero? Vnigenitus Deus, qui est in sinu Patris sui, explicauit mysterium suæ Incarnationis, dicens: Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui de cœlo descendit. Igitur quomodo descendit de cœlo, qui in ventre efformatus est? Et etiam dixit: Videbitis Filium hominis ascendentem in regionem, in qua erat prius. In qua regione erat prius, (quatenus Filius hominis) nisi in vulua Virginali? At propter vnionem suam hypostati-

cam

cam cum Persona Verbi, prædicantur de illo diuina. Et si homo ille, secundum te, est simplex homo; expone nobis, quæ sunt ista mirabilia, quæ de ipso dicuntur. Sed hic multi intellectus phantasmata passi sunt, & aberrauerunt à vero, volentes figurare Deum similitudinibus, & non potuerunt. Propterea beabo eum, qui illuminatus est in eius sapientia, & comprehendit scientiam illam sublimiorem omnibus scientijs, quæ est nutrix puerorum in Christo, in quo sunt absconditi thesauri sapientiæ & scientiæ. Iesus collectus, & simplex in parte, & in toto, fac me dignum tuis misericordijs æternis; per quas hoc omne ad esse adduxisti. O lumen splendidum & perfectum, à cuius spissitudine radiorum tuorum, & splendorum tui candoris radiantis, qui non patiuntur includi sub velamine in nube obscura; te figurauit balbutiens filius Amsam: detege velamen antiquum ignorantiæ ab intellectu Israelitarum tuorum, ne declinent à semitis tuis Fidei tuæ verè. Amen.

Completus est Sermo Patris Adæ Orientalis.

Cum placuit Regi Regum Deus Omnipotens,

INDEX CAPITVM.

PROLEGOMENA.

Disputationis occasio. pag. 1
Epistola Patriarchæ Babylonis ad S.D.N. Paulum Papam V. 4
Professio Fidei Patriarchæ Babylonis. 8
Cómentarius Patris Adæ de Conciliatione Fidei Orientalium cum Fide S.R.E. 15

DISPVTATIO.

Professio Fidei Patriarchæ Babylonis recensetur, & dogmatibus Orientalium adiuncta expenditur. Cap. I. 41
Hæresim, qua negatur sanctissima Virgo esse Dei Mater, à Nestorio incœpisse; & quis fuerit Nestorius. Cap. II. 43
De versutia qua Nestorius hæresim suam in Ecclesiam inducere curauit; & de immanitate, qua sibi repugnantes Orthodoxos persecutus est. Cap. III. 47
Epistola Nestorij ad Cœlestinum Papam Vrbis Romæ. Cap. IV. 53
Patres blasphemia Nestorij audita, illum amanter admonent, vt suum errorem corrigat. Cap. V. 57
Refragante Nestorio sanctorum Patrum admonitionibus, eiusq; impietate ad sanctam Apostolicam Sedem delata;

delata, ipsius correctio Cœlestini Papæ decreto demãdatur Cyrillo Episcopo Alexandrino. Cap. VI. 63
Catalogus blasphemiarum Nestorij, & epistola Synodi Alexandrinæ ad Nestorium. Cap. VII. 65
Persistente in sua impietate Nestorio, Concilium Vniuersale Ephesi congregatur, & ipse Synodali sententia damnatur. Cap. VIII. 78
Fons, & origo hæreseos Nestorij detegitur. Cap. IX. 80
Contestatio Cleri Constantinopolitani, quòd Nestorius idem sentiat, ac Paulus Samosatenus, &c. 81
Epistola Iustiniani Imperatoris ad Patres quintę Vniuersalis sanctæ Synodi. Cap. X. 85
Ex blasphemijs Theodori Mopsuesteni, quod de origine Nestorianæ hæresis dictũ est, confirmatur. Cap. XI. 95
Sceleratum symbolum impij Theodori. Cap. XII. 104
Detecta origine Nestorianæ hæreseos, fomenta illius patefiunt. Cap. XIII. 108
Ex his, quæ à Theodoreto scripta sunt aduersus duodecim Capitula sancti Cyrilli. Cap. XIV. 109
Epistola Ibæ scripta ad Marim Persam. Cap. XV. 115
Sententia sanctorum Patrum quintæ Vniuersalis sanctæ Synodi contra Theodorum Mopsuestenum, impia Theodoreti scripta, & epistolam Ibæ. Cap. XVI. 119
Canones quatuordecim sanctæ Vniuersalis quintæ Synodi. Cap. XVII. 133
Nestorium, atque Theodorum maximè differre à sanctis Patribus in significatione vocis, *Personæ*; ipsosq; etiam aliquo modo vnam personã in Christo ponere: quorum imitatione Chaldæos dicere vnum Parsopa Christi;

ſti; ex quo vnam quoque eſſe eius voluntatem, atque virtutem. Cap. XVIII. 143
Profeſſio dogmatis vnius volũtatis,& operationis in Chriſto,habita à Macario Antiocheno. Cap.XIX. 149
Definitio Orthodoxæ Fidei: Facta in Regia Vrbe, temporibus Conſtantini Pogonati. Cap. XX. 159
Chaldæorum dogmata cum veritate Catholica concordari non poſſe. Cap. XXI. 164
Sanctarum Scripturarum auctoritatibus, Vnitas perſonæ Chriſti Domini oſtenditur. Cap. XXII. 172
De myſterio Vnitatis perſonæ in Chriſto, magna cum modeſtia agendum eſſe. Cap. XXIII. 177
De duabus Chriſti Domini noſtri voluntatibus, & operationibus. Cap. XXIV. 180
Epilogus totius Diſputationis. 186
Epiſtola Eugenij IV. de vnione Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali. 188

APPENDIX.

Epiſtola S. D. N. Pauli Papæ V. ad Eliam Babylonis Patriarcham. 193
Sermo Patris Adæ de Fide Catholica. 205
Sermo eiuſdem contra hæreſes diſſentientes à Fide Catholica Romana. 225

Indicis Capitum Finis.

REGISTRVM.

a A B C D E F G H I K L M
N O P.

Omnes sunt Quaterniones, præter a, *Ternionem,* E, *Sesternionem, &* P, *Quinternionem.*

ROMÆ, Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. MDCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

C. Tab. IV. n°. 24.